




BIB. DOM.
ANDEGAV.
S. J.



Conservé

comme ancienne édition.

Collegij INTRODVCTIO Billom:

AD SOLIDAM PERFECTIONEM,

PER MANVDVCTIONEM

AD S. P. N. IGNATII

Exercitia ſpiritualia integro
Catal. menſe obeunda. Inſcriptus

Authore R. P. ANTONIO LE GAVDIER,
Societatis IESV.



LVGDVNI,
Apud PETRVM GVILLIMIN.

M. DC. LXIV.
Cum Permiſſu Superiorum.




PRÆFATIO AD LECTOREM.

IDEM planè dicendum de præclaris hisce in exercitia commentariis, quod de ipsis exercitiis Magistri morum inculcare solent, lectione minùs quàm vsu prodesse. Experti sunt è nostris plurimi quid inde fructus legeretur, & quàm vtiles essent hominibus qui aliorum saluti vacarent. Neque mirum, siquidem Author cum iis versatus est sæpè, qui SANCTVM IGNATIVM viderant, & quos sanctus Pater suis ipse exercitiis excoluerat. Egit cum PP. Oliuario, Manarræo, Exuperio, Costero, &

 aliis,

aliis, quos SANCTVS IGNATIVS *aut exercuerat, aut Paſchali Broëto inſtituendos tradiderat; Ex iis omnibus multa percepit Author, quæ in hunc commentarium retulit. Itaque ſi quid additum aſpexeris iis, quæ ex S. Patris autographo Societas noſtra Typis vulgauit, non continuò commentum putabis Antonij, ſed ſancti Parentis fœtum quem in animis ſuorum deſcripſerat. Hoc enim ſæpe teſtatus eſt Author, ſe in exercitiis ſuis eſſe conatum exprimere pia lumina, quæ ex primogenitis Societatis noſtræ filiis in Belgio didicerat. Hinc vides quàm parum à* SANCTI IGNATII *mente; vt ætate hæc exercitia diſtent; iis vtere: agnoſces nos magna pollicitos eſſe, fructum tamen eſſe omni noſtrâ pollicitatione maiorem.*

INDEX



INDEX CAPITVM TOTIVS LIBRI.

 VII. De

Non

Medita

Quomo



Facultas

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

IOANNES FILLÆVS Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis HENRICO III. 10. Maij 1583. HENRICO MAGNO dicto IV. huius nominis 20. Nouemb. 1606. & LVDOVICO XIII. nunc regnante 14. Febr. 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositis, absque Superiorum permissione imprimant, permittit *Sebastiano Cramoisy Parisiensi Bibliopolæ* vt libros omnes quos *de perfectione vitæ spiritualis, scripsit P. Antonius Gau-*

dier

dier, à tribus è noſtris Theologis recognitos & approbatos, ad ſex primos annos imprimere ac liberè diuendere poſſit. Datum Gratianopoli, 27. Octob. 1630.

IOANNES FILLÆVS.

Hæc prima editio perfecta fuit, 24. *Nouemb*. 1642.



INTRO



INTRODVCTIO AD SOLIDAM PERFECTIONEM,

Per manuductionem ad exercitia spiritualia S. P. N. Ignatij, integro mense obeunda.

CAPVT I.

Instructio pro iis qui 3. annum agunt probationis.



PRIMO qui ad tertij anni probationem destinantur, diligenter hæc animaduertant, oportet. Primum illam à B. P. N. Ignatio sapienter institutam, & multis constitutionum locis commendatam fuisse: decretúmque nostros omnes, qui in scholasticos approbati studia iam sua in societate absoluerint, priusquam ad gradũ vlteriorem, siue professorum, siue Coadiutorum spiritualium admittantur, in hac vltima probatione sedulò exerceri. Institutio huius probationis.

Finis huius probationis.

2. Porrò finem huius probationis esse in plena & absoluta suipsius abnegatione ita se cum diuina gratia exercere; & cum eadem ad virtutes religioso dignas incumbere, vt fiat homo in vita spirituali perfectus, idoneúmque societatis instrumentum, ad animas Christo lucri faciendas euadat. Cum enim societatis institutum homines non solum litteris, sed multò magis spiritualis vitæ perfectione conspicuos requirat; ex illa verò assidua contentione, quæ per aliquot annos in excolendo per studia intellectu, ponenda est, humilitatis ac deuotionis feruor intepescere soleat: necessarium omnino iudicauit Beatus Pater, vt absolutis studiis certum aliquod tempus vnicuique tribueretur, in quo vires spirituales instauraret; solidarúmque virtutum studio, & profectu tanquam necessariis in futurum præsidiis se communiret.

Media ad consequendum.

3. Ad hunc vero finem consequendum duo esse potissimum necessaria; vnum, vt qui ad hanc probationem mittitur, non perfunctoriè ad eam transigendam accedat: sed magna cum animi simplicitate, & humilitate ardentíque profectus sui desiderio: proponátque sibi omnino abhorrere ab omnibus, quæ profectum hunc possunt impedire; totísque ea viribus amplecti, quæ eum ad eundem adiutura, superioris iudicio videbuntur. Alterum, vt quæ animo ita statuerit, studiosè constantérque exequatur, nihil omnino, quod ad profectum in humilitate & abnegationem vniuersi amoris sensualis, voluntatis, & iudicij proprij, & ad maiorem cognitionem, & amorem Dei conferat, prætermittendo,

vt

vt cùm in se ipso profecerit, melius atque efficacius, alios ad Dei & Domini nostri gloriam iuuare possit.

4. Denique cum hæc vltima sit societatis probatio, atque ita illam constitutiones vocent, merito sollicitum esse debere vnumquemque, vt ad quam initio perfectionem vocatus est, ad eam in hac demum probatione acquirendam, omni ope desudet. Iustum enim esse, vt quem à suis fructum societas post tot labores & sumptus illorum causa impensos, totque adiumenta tum in purgando affectu, tum in excolendo intellectu exhibita iure suo exigit, & expectat, eum nunc tandem hoc anno reddant. Hæc igitur illis obseruanda erunt. Sedulò incumbendũ.

5. In sex societatis experimentis, & aliis similibus, iuxta nouitiatus consuetudinem exercebuntur, sumpto initio à spiritualibus exercitiis per integrum mensem. Sex experimẽta.

6. Orationis tempus idem habebunt, quod nouitij, tum matutinum, tum meridianum: & illud prætérea, quod à communibus occupationibus vacuũ, propria cuique deuotio, re cũ instructore communicata, subministrabit: cum is potissimũ huius anni finis sit, vt intimam illam familiaritatem cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitiis acquirant, quam societatis operariis necessariam constitutiones docent. Orationis tempus.

7. A studiis omnino abstinebunt: quare nec noui aliquid videre, nec præterita recognoscere debebunt. Poterunt tamen præter libellos spirituales vsitatos, legere aliquos similes patres, qui in catalogo recensentur, non eo fine, vt conceptus, aut sententias ad concionandum decer-

pant,ſed vt deuotioni tantùm, & ſpirituali vtilitati ſeruiant.

8. Quo tempore à nouitiis exerceri memoria ſolet ſimiliter,& ipſi aliquid per ſemi-horam ediſcant, veluti Pſalmos, & Epiſtolas S. Pauli, nonnullos ex minoribus prophetis, huius generis alia, prout inſtructor conſultum in Domino iudicauerit.

Partitio tẽporis. 9. Ad vitandum otium:& vt cum fructu tempus exigant,& diſtinctas habeant horas, & ſpatia lectioni ſanctorũ patrum,meditationis,orationis vocalis:vtantur diligenter examine particulari non ſolùm ad vitia extirpanda,verùm etiam ad vſum,& conſeruationem virtutum.

Loqui cũ aliis. 10. Intelligant ſibi non fore liberum colloqui cum noſtris aliunde venientibus,aut externis abſque facultate inſtructoris: neque expedire ad vitandas importunas diſtractiones,vt cum aliis etiã, aut inter ſe indifferenter agant, aut conuerſentur,ſed cum iis tantùm quos ſuperior cuilibet aſſignabit.

Ad ſignum cãpanæ. 11. Cum ſignum datur exeundi vel ad concionem,vel deambulatum,nullus ab acceſſu cum aliis ad aulam eximatur, vt ibi ſingulis comites aſſignentur.

Exercebuntur in humilioribus. 12. In miniſterio culinæ,& cæteris corporalibus exercitationibus omnia præſtabunt, quæ Nouitij ſolent,ſeu tempus ſpectetur,quo ſingula præſtanda ſunt,ſiue occupationis ſpatium,quo explenda eſt. In his verò ſic ſe à præfecto dirigi ſinent,ſicut ipſimet Nouitij.

Legent ad menſam. 13. Legent ordine ſuo ad menſam,in exhortationibus & conferentiis aſſidui erunt,in omnibus denique communibus exercitiis, eam diligentiam

adhibe

adhibebunt, quâ nouitios non æquare modo, ſed ſuperare ſtudeant.

14. Communem recreationem ſimul omnes ſic agant, vt dum ea, quæ pios religioſos decent, loqui aſſueſcunt, deinceps etiam cum extraneis ea colloquia miſcere norint, quæ pietatem redoleant, & audientes ædificent. Recreatio.

15. Caueant ne vlla ratione ſcire ſatagant, aut coniicere quid ipſis peracto tertio anno futurum ſit, & qua in re ſuperiores occupare illos ſtatuant: ſed cum indifferentia obedientiæ nutum præſtolentur. Non de ſe cogitent.

16. Si quando extra horas recreationis à ſuperiore conceditur, vt in horto relaxandi animi cauſa tempore aliquo deambulent, ſinguli ſeorſim incedent, ſilentiúmque ſeruabũt: & importunis horis per domum non diſcurrent, ſed in ſuis cubiculis, locíſque deſignatis ſe continebunt. Silentium.

17. Hanc inſtructionem, & regulas ſemel ſaltem ſingulis menſibus ac ſæpiùs etiam legãnt, vt in praxim vſúmque reducant. Legant ſingulis menſibus.

Modus vtiliter tertium Annum peragendi.

CAPVT II.

In tertio Anno applicandum serio animum ad intellectum scientia practica illustrandum.

QVanquam vix dici queat quicquam quod ad rectè peragendum probationis annum facere possit quod non contineatur tum in constitutionibus,tum in ordinatione tam antiqua,quam noua ea de re edita à R. P. N. Claudio Aquauiua ; ad rectum tamen eorum quæ ibi traduntur ordinem & vsum nonnulla obseruare,non erit invtile. Illud autem imprimis sibi debent persuadere ij qui ad hanc probationem destinantur, mitti se non ad quietem & vacationem à studiis, sed ad vtilissimum studium & eminentem quandam scholam totius perfectionis , ac proinde operam dare necessariò debere, vt in ea versentur diligenter. Horum autem diligentia ad duo potissimum pertinet.

Primo enim persuadeant sibi , quod verissimè studere debent , & quacunque ratione poterunt, illuminare practicè intellectum , sic vt penetrent benè & solidè quæcumque spectant ad naturam ipsam & essentiam perfectionis , ad tres eius vias & gradus , ad instrumentorum etiam singulorum quibus iuuatur perfectio,naturam & vsum,qua in re studio & speculatione etiam accurata opus est.

Et

Et certè quanquam Conſtitutiones vocent hanc ſcholam affectus, quia tamen naturaliter pendet affectus ab illuminatione intellectus dici non poteſt, quantum in perfectione acquirenda præſidij, quantum adiumenti & ſoliditatis adferat clara diſtinctáque cognitio naturæ perfectionis & inſtrumentorum.

Quare B. P. N. 5. p.c. 1. §. 2. commendat, vt in hac probatione inſiſtant his quæ ad maiorem cognitionem & amorem conferunt. Et valde mirum èſt nos totos annos tanto cum labore ſpeculari, quid ſit locus, quid tempus, quid quantitas; Exiſtimare vero occultam perfectionis eſſentiam curſim, pios nonnullos libros legendo poſſe comprehendi: Exiſtimo igitur opus eſſe aliquo ſolido ſtudio, vt ſolidè ſpirituales euadamus, quod tamen omnino practicum eſſe debet, quo nempe intellectus illuminetur, vt voluntatem inflammet, & eius praxim dirigat.

Itaque 2. loco conari debent, vt quod ſtudendo intellexerint, re ipsâ magno affectus feruore exerceant, atque ita ſcientiam illam ſpiritualem quæ ſpeculando acquiſita fuit faciant practicam, & ipſo vſu experimentalem. Et quia hac affectuoſa praxi perficitur ipſa ſcientia practica, ideo potiſſima cura in affectus feruore ponenda eſt, ob quam Conſtitutiones vocant eam ſcholam affectus, quia ſcientiæ quæ ibi traditur, finis eſt praxis, id eſt, affectus voluntatis conſtanter diuino bono adhærens, & ſolidarum virtutum exercitium perfectum ex ſolida intellectus cognitione promanans. Et certè nemo vnquam veram & certam ſpiritualium rerum ſcientiam adipiſcetur, niſi vtrumque coniungat, nec dici poteſt ſpiritualis,

qui legit multos libellos ſpirituales, & de iis bene diſcurrit, ſed qui præeunte cœleſti lumine ſolidæ rerum ſpiritualium ſcientiæ quam didicit, verum vſum & praxim prudenti experientia primum circa ſe, deinde circa alios conſequutus eſt.

CAPVT. III.

Obiectum Duplex ſcientiæ practicæ in 3. Anno acquirendæ, ſunt finis & media. Et 1. de fine.

DVplex eſt pars obiecti ſcientiæ illius practicæ, quam ſtudio & operatione acquirendam eſſe diximus: vna eſt ipſe finis, altera comprehendit media.

Finis non eſt alius quàm perfectio propria & aliorum; quare ante omnia circa finem duo ſunt curanda. Primò vt perfectè cognoſcatur natura perfectionis illius ad quam vocati ſumus, & ad quam iuuare alios debemus, quæ quoad eſſentiam quidem conſiſtit in perfecto amore, & quoad integritatem in virtutum omnium ſolida poſſeſſione; quoad exemplar verò nobis propoſitum in Chriſti imitatione, vt ita Deum amemus ſicut Chriſtus ipſe dilexit: Cum autem varij de amore Dei & natura totius perfectionis, & virtutum ſcripſerint, expedit certè ſi qui legendi ſint, illos eligere qui ea de re tractarunt ſolidius, ex quibus valde vtile erit, accurato ſtudio rimari ad fundum vſque totam perfectionis naturam, cauſas, partes, modos &c. & de his ſibi breue aliquod

ſcriptum

scriptum componere, perinde ac si aliis tradere oporteret: sic enim & penetrabit magis, & sibi imprimet ideam illam, ad quam tota vita spectare debet, verum debet hæc cognitio esse practica. Praxis autem propria est intentio ipsa finis; & efficax quoddam desiderium, totam amoris diuini virtutúmque perfectionem, prout in Christo elucet, complectendi, & si procul ab ea nos abesse videamus, omnibus modis in eam paulatim, per virtutum quibus egemus gradus tendendi: Nam sine hoc desiderio siue praxi, nemo ea quæ de natura perfectionis studio assecutum se esse putat, verè intelliget. Contrà verò si toto in ea conatu feratur, experietur ex hac intentione, vt totius scientiæ sanctorum principio diffudi lumen quoddam copiosum conclusionum practicarum, non secus atque radios ex sole, quibus clarissimè & distinctissimè intelliget, & quò sibi tendendum, & quibus viis, virtutúmque omnium naturam penetrabit.

CAPVT IV.

Quæ sint media ad illum finem, & quo ordine vsurpanda.

AD hunc finem consequendum, varia in hoc 3. anno media sunt, quæ commodè reuocari possunt ad quatuor veluti capita: primum pertinet ad dispositionem cum qua suscipi debet hæc probatio ab iis, qui ad eam destinantur, de qua §. sequenti.

Secundum complectitur orationis & totius cum Deo Communicationis studium, ad quod pertinent exercitia spiritualia, iugis Dei præsentis memoria, praxis regulæ electionis B. P. N. oratio mentalis, officium diuinum, & vocalis oratio, Sacrificium missæ, confessio, & communio, vtrumque examen conscientiæ, lectio spiritualis & alia id genus.

Tertium ad mortificationem sui integram perfectámque spectat, cuius studium cum Dei communicatione indiuulsa societate cohæreat necesse est. Huc autem refertur variarum virtutum praxis potissimùm verò humilitatis, paupertatis, castitatis, obedientiæ. Atque 2. hoc & 3. medium ita sibi cohærent, vt in ipsa praxi vnum ab alio separari non queat. Et ipsa quidem oratio est maximè generale & excellens medium quo, omnes ad vnum Sancti suam perfectionem & Dei gloriam promouerunt. Nam ipsa est quæ animam efficit puram & sanctam, nec sinit esse inanem, vel malè compositam, sed replet Deo, componit tum mortificationis, tum virtutum omnium exercitio motus eius omnes, cœlesti quadam generositate eam perfundit, vt nec ad leuiores quidem culpas, aut inutiles nugas se abiiciat, vt nihil magnum in mundo reputet præter Deum, vt labores vitæ huius, & tribulationes, mortem etiam ipsam nihil reformidet, nihil sibi difficile, nihil asperum putet, quod ad Dei gloriam possit esse vtile: quare profectus in orationis & communicationis cum Deo studio, est mensura quædam perfectionis, adeo vt omnino quisque ad perfectionem progredi altius queat, aliorum salutem ac Dei gloriam promouere, quò se ma-

gis

gis veræ & ſolidæ orationi dederit; quare non mirum eſt ſi ſocietas cui ſumma perfectio & Dei gloria propoſita eſt, hoc imprimis in tertio anno requirat, qua etiam de cauſa vocat ſcholam affectus.

Hoc igitur debet eſſe commendatum vt, accedens ardentiſſimum quoddam & inſatiabile, ſæpe imo continuo cum Deo conuerſandi familiariter excitet deſiderium, quo fiet vt ſolutus aliis alacris in eius amplexus ruat,& diſcat toto hoc anno praxim ad Deum intrandi, & exeundi; adeò vt ſiue hoc tempore, ſiue tota deinceps vita non tantum quando conſueta Deum orandi hora eſt,ſed etiam extra id tempus quotieſcunque vel vnum momentum temporis vacuum neceſſaria occupatione conceditur, libero animo ſiſtat ſe Deo,& deinde reuocante alio negotio ab eo dimiſſus egrediatur ad eius gloriam promouendam: cum autem varia ſint exercitia interna,qnibus cũ Deo occupari poſſumus,de his deinceps agendum erit: hoc loco ſolum id monuiſſe ſufficiat, inexplebile quodammodo verſandi cum Deo deſiderium neceſſarium eſſe ei qui velit ſeriò proficere.

Huic deſiderio communicandi cum Deo,debet omnino coniunctum eſſe par deſiderium mortificationis propriæ,quæ plerumque vel ſolet præcedere orationem,vt neceſſaria diſpoſitio ad illam;vel eamdem comitatur,cum compeſcit difficultates quæ in orando occurrunt, vel eamdem ſequitur & ab ea perficitur,vt neceſſaria ad ea quæ in oratione propoſuimus exequenda: quare commendatur à B. P. N. in hac vltima probatione verbis grauiſſimis 5. p. c. 2. §. 1. tum orationis, tum mortificationis ſtudium, vbi ait, debere illos qui

in

in illa versantur, sese diligentius in schola affectus exercere, & in rebus spiritualibus & corporalibus, quæ ad profectum in humilitate & abnegatione vniuersi amoris sensualis, voluntatis, & iudicij proprij, & ad maiorem cognitionem & amorem Dei conferunt, insistere, additque rationem hanc, vt cum in seipsis profecerint, melius ad profectum spiritus, alios ad Dei & Domini nostri gloriam iuuent. Et certè duo hæc in eum finem valent plurimum, séque mutuo conseruant, acuũt, perficiunt, nec vnum sine alio aut stare diu potest, aut efficax esse ad opem ferendam proximo; quæ autem sit necessaria mortificatio, & quomodo quóue ordine, dicetur postea.

Quartum caput continet eas virtutes & exercitia quæ ad iuuandum proximum spectant, quo spectat vnio & charitas fraterna, zelus animarum, functiones variæ: hæc autem media fini ita accommodanda sunt, vt quam requirit societas spiritus perfectionem perficiant, quare adiungi omnibus debet amor instituti, & ex eo deriuari necesse est ea, quæ ad singulorum vsum sunt necessaria.

Quamuis enim necessarium videatur ab initio nullius ex iis mediis abiicere curam, sed omnia quantum dabitur complecti, fieri tamen non potest, vt omnium perfecta cognitio acquiratur si confusè & temerè procedatur, quare licet nullum negligatur, est tamen operæ pretium singula ordine sibi describere, vt certo tempore cuiusque natura inuestigetur, & attentiori vsu vera praxis acquiratur. Qui porro debeat is esse ordo non facilè dixerim, pendet enim ex variis circumstantiis, & in exercitiis spiritualibus, cum seipsum

quisque

quisque considerat;& singulas diei actiones perpendit, facilè potest iudicare cui rei imprimis operam dare debeat. Si tamen naturam rei attendamus, puto satis commodum fore eum, quem deinceps singula media percurrendo sequemur.

CAPVT V.

Quænam sit bona, quæ mala dispositio accedentium ad hanc probationem.

HAc de re expendenda sunt quæ habet R. P. N. Claudius Aquauiua in instruct. 12. initio, vbi quæ dici possunt breuiter & solidè attingit. Duo tantum addam. Primum est vt cum eo prorsus spiritu suscipiatur hæc probatio , quo est à B. P. N. instituta, & à societate commendata, alioquin vel inutilis erit, vel eò minus vtilis, quò longiùs quis ab eo spiritu fuerit. Certum est B. P. Nostrum diuina quadam prudentia instructum, ab experientia vsúque præclarum hoc institutum hausisse. Cum enim Dei prouidentia primorum patrum iter Hierosolymitanum quod peractis studiis erant aggressi, interruptum , & annum integrum expectare constituissent opportunitatem nauigandi , interim distributi in varias Italiæ partes & ciuitates , orationis & mortificationis excellentis exercitiis exculti, huius probationis formam quandam societati reliquerunt , & societati constituendæ propriam occasionem ob ingentem ex illo fructu secessum dederunt, vt patet ex lib. 2. vitæ B. P. N. capite 8. & sequentibus. Itaque

tanti

tanti refert ad ſocietatis conſeruationem tertij huius anni curſum aggredi prout conuenit, quanti fuit ad eiuſdem fundationem primos noſtros patres ita poſuiſſe in Italia annum illum, in quod exemplar intueri conuenit eos, qui ad hanc probationem deſtinantur.

Alterum eſt hoc efficax & ardens deſiderium bene collocandi huius temporis ſolere impediri, ex eo præcipue quod præterita vita remiſſior fuerit. Inde enim cõtingit, vt nõnulli nõ ſecus ac viatores aliquot annis in religioſa conuerſatione poſitis defatigati ſubſiſtant, & vel ad ignauum quoddã otiũ aſpirent, & ideo in hac probatione ſolam ſibi quietem & otioſam vitam proponunt. Quod nonnunquam honeſto prætextu excuſant, ſiue laborum in ſcholis poſitorũ, ſiue valetudinis non integræ, ſiue alio quocumque vel opinionis, aut doctrinæ, aut virtutis ſuæ vento inflati, putẽt ſe minimè illa egere, & ideò perfunctoriè hoc tempus poſitum veniunt, qui certè eò ampliùs hoc egent remedio, quo vel minime egere ſe putant vel magis torpẽt. Equidem dubitari non poteſt, quin ſtudiorum continuũ per tot annos exercitium mirum in modũ ſpiritus deuotionis & mortificationis exſiccet, adeóque videri poſſit quibuſdã difficilior ille tranſitus ab eorum occupationibus ad hæc humilia, & dura exercitia. Cæterùm experientia docuit hactenus illos qui tempore ſtudiorum ſpiritus religioſi conſeruãdi aliquam rationem habuerunt, cũ his peractis ad tertium annum deſtinantur, non tantùm non ægrè, ſed etiam libentiſſimo animo id ſuſcipere, & non ſecus ac lapides in aëre ſuſpenſos ruptis vinculis in centrũ ſuum rapi, ac dicere; dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, vota mea

Domino

Domino reddam. Et vero cum quis ita resistit, cum hæret, cum lentum se & tardum experitur, cum veluti ad corporis quietem aut inutilem sibi occupationem perfunctorie & remisso animo accedit, is quidem effectus est torporis vitæ pristinæ, & euidens argumentum eum non satis comprehendere perfectionem ad quam vocatus est, ac proinde nec tanti illam facere quanti debet: in quo totius vitæ fundamento cum erret, quid ab illo bonæ frugis expectari queat; Quare si quæ huiusmodi mala dispositio adsit, omni opere curandum est, vt tollatur; quod fieri potest partim consideratione eorum in instruct. 12. initio, partim ipsis exercitiis spiritualibus, quibus eminentis societatis perfectionis cognitio & æstimatio augeri, & quam procul ab illa simus innotescere, & voluntas ad eã omni studio amplectendam vehementer incitari consueuit.

CAPVT VI.

Quomodo Exercitia spiritualia initio sint peragenda.

INter alia experimenta quæ in vltima probatione præscribuntur, locum primum habent exercitia spiritualia quæ integro mense fieri debent, & quamquam tam longum tempus nonnihil reformident, nihil tamen videtur de eo detrahendum, nisi manifesta ratio, vel obedientia secus postulet, imo toto affectu suscipienda sunt, nec tantum ad 30. dies sed etiam ad longius tempus si, ita

res

res ferat ; quare pusillo animo illi sunt,nec satis generosè suum profectum desiderant , qui initio terrentur hac denuntiacione,cum constet contrarium extitisse spiritum primorum patrum , qui ad tam vtilem occupationem, & iucundam cum Deo conuersationem tam cupido animo ferebantur: Certè in exercitiis hisce ponendus est quodammodo fructus non tantum totius anni probationis, sed etiam reliquæ vitæ. Quare quamuis hoc medium particulare videatur, tamen ad finem ipsum & cætera media valet plurimum , cum hic ea omnia quodammodo delineari, & primis suis veluti coloribus depingi oporteat, quæ tota deinceps vita perficienda erunt. Nam in exercitiis ea proponuntur quæ ad finem , nostram nempe perfectionem & proximi,deinde vero ad media illi fini vtilia spectant: vt non solùm intellectu & cognitione,sed etiam voluntate & affectu, atque adeo practicè, comprehendantur. Cum enim prolixiora sunt,multum temporis, opportunitatis ,luminis, caloris spiritualis suppeditant, vt quisque penitus intueri possit quænam sit perfectio in genere,quæ item perfectio societatis in particulari : Deinde verò quantum ab illa distet , quibus se sentiat impedimentis distineri ; Denique vt insatiabili desiderio , ardentique animi studio, atque maximo mentis feruore aggrediatur, totis ad eam viribus contendere .Nam eo spectat fundamenti consideratio,& tota prima hebdomada & in 2. meditationes de Christi Domini vita , quæ vt nobis tanquam in lucidissimo speculo eam perfectionem quam prosequimur repræsentat, ita est efficacissimum ad eam incitamentum. Et vero dubio procul,si bene & serio tempus hoc collocetur , tum

perfe

perfectionis nostræ cognitio distincta, tum eiusdem inflammatum desiderium Deo inspirante, consequetur, satis experientia ipsa comprobat: præter meditationes autem & directionem lectio spiritualis multum adferet adiumenti, quam in prima quidem hebdomada, de primo statu perfectionis deque eius impedimentis, in secunda vero, de Christi Domini amore & imitatione, atque adeo de 2. via: deinceps vero tam de natura ipsa perfectionis, & 3. via instituendam putarem. Adiuncta suis temporibus diligenti lectione tum libelli exercitiorum, tum directorii; regula etiam electionis quam B. P. N. tradit in primo modo electionis perpendi hic poterit, vt exinde eiusdem praxis inchoari possit.

Atque hæc de perfectionis essentia quæ cogitata & meditata erunt, breuiter sunt annotanda, vt eius nobis quamdam ideam formemus quam tota vita ante oculos habeamus, & hæc de fine.

Quod ad media vero attinet, & omnia & singula siue ad orationem siue ad mortificationem spectent, prout in variis exercitiis suppeditantur, sunt examinanda, & recte componenda quantum res & tempus feret, in omne futurum tempus: quare iis distributis pro opportunitate, vnum vno vel pluribus diebus prout necessum videbitur, considerandum erit attentè, & forma eius accurata si fieri possit, sin minus, rudis delineanda: quod vero in vno quoque obscurum erit, quod difficile, annotandum diligenter, donec accuratiori studio & vsui suo cuiusque ordine vacetur. Nec tamen interim minus accuratè quæ concepta fuerit forma, etsi adhuc rudis vsurpanda est: ex ipso

enim diligenti vſu quæ prius obſcura & difficilia, facilia & manifeſta reddentur.

Præterea in tanta luce & ſuipſius cognitione valde expediet certum ſibi ordinem quiſque deſcribat, quo conceptum ſingulorum mediorum vſum,& exercitationem maiori ſtudio,& ad praxim ipſam attentiori excolat, vt verbi gratia ſtatim ab exercitiis ad vnum menſem ſuſcipiat ſtudium, vel intentionis totius perfectionis finis, vel præſentiæ Dei, vel orationis mentalis cum paupertate ſpiritus, ſic vt non tantum conetur eam formam ſeruare quam ſtatuit, ſed etiam legendo authores, qui ea de re tractarunt, ſtudere, vt penitus intelligat quæ ad eius naturam & vſum pertinent, & reipſa quæ ſtudio diſcit, experientia conetur cognoſcere in ſeipſo. Et ita altero menſe ad aliud progrediatur ſemper coniungendo cum oratione mortificationem iuxta ea quæ ſtatim dicentur. Hæc vero ordinis diſtributio ſic optimè fieri poterit, quando in otio maiori ſingulæ actiones & media diſcutiuntur. Et ex ea diſcuſſione apparet quid magis vrgeat, quid plus dfficultatis habiturum videatur, quid requirat plus temporis. Hoc fundamento bene collocato totius anni tertij curſus vtiliter conficietur.

CAPVT VII.

De exercitio præſentiæ Dei.

QVæ hactenus diximus pæne ad 3. & 4 caput mediorum, id eſt orationem & mortificationem, pertinent in genere, nam quamquam exercitia ſpiritualia ad orationem omnino pertineant, tamen vniuerſim tam finem quam media omnia cætera componunt & dirigunt. Iam vero ſeorſim de his mediis quæ ad orationem pertinent agendum, deinde de aliis, quamquam, vt ſæpe monuimus, non debeat à ſtudio mortificationis ſeparari orationis ſtudium. Quare operæ pretium erit ſi ſtatim ab exercitiis vtrumque coniungatur ex æquo, vt ſicut in ſpeculatiuis vtiliter fit, ita etiam in ſchola hac affectus matutinum tempus vni, promeridianum alteri ſtudio dicetur, ſiue ad leuandum tædium, ſiue vt ſe mutuò iuuent. Nam ſicut ſine mortificatione oratio non poteſt eſſe perfecta, ita nec ſine oratione poteſt eſſe mortificatio aut conſtans, aut feruens, & deuota, aut efficax: Itaque pari conatu vtrumque ſtudium eſt amplectendum. Omnis porro orationis & familiaritatis cum Deo fundamentum eſt Dei præſentia, cui proinde aliquod tempus tribuendum eſt, & inter omnes modos quos habet Crombetius, omnibus ſtudio accurato diſcuſſis, tres aut quatuor aut plures efformandi ſunt, & orationi-

bus, conuerſationi, externis actionibus noſtris practicè accommodandi. Certè quanti id ſit momenti dici non poteſt, & experientia compertum eſt, permultos ex hoc vel vnico in reliquam vitam, poſt peractum 3. annum probationis, in mediis occupationibus plurimum adiumenti hauſiſſe, & ingentes fructus retuliſſe. Hinc enim profluit vis omnis orationum iaculatoriarum, quibus homines occupati conceptum mane feruorem & vnionem cum Deo conſeruant & fouent, in periculis & difficultatibus tutos ſe & generoſos præſtant, & in tribulationibus alacres. De hac autem re legi poterit P. Crombetius, P. Arias, & P. Du pont in duce & vltimo opere.

CAPVT VIII.

De Regula Electionis,

Regulæ illius, quam tradit B. P. N. in primo modo electionis, praxis magnum adiumentum accipit à Dei præſentia, tota autem refertur ad intentionem finis, quare præſupponit magnam eius notitiam & ſitim in exercitiis ſpiritualibus excitatam, quæ vt augeatur, vtile valde erit aliquod tempus huic exercitio dare. Eſt enim mirabilis quædam machina, quam B. P. N. primus conſtruxit & docuit, quare puto eius vſum non diu poſt exercitia ſpiritualia inchoandum, aut deinceps deſerendum: nam optimè cum aliis omnibus coniungi poteſt, & verò debet, vt ea dirigat

rigat

rigat nimirum in finem ipſum. Eſt enim veluti cementum quo cum Deo opera omnia iunguntur. Eſt machina qua in Deum ſuſtolluntur & animæ inſtar qua viuunt, & feruent omnia. Eſt ſuauiſſimum condimentum, quo exercitiorum omnium difficultates temperantur. Eſt denique veluti fons luminis practici, ex quo, velut fonte quodam, in omnes vitæ partes lucidiſſimi radij prodeunt, quibus partim præteritas actiones diiudicemus, partim futuras diſponamus: vt autem vitetur quod poſſet in hoc exercitio contingere, & maior vtilitas exiſtat, non abs re erit, ſi primis menſibus ad maioris Dei gloriæ bonum, quod eſt obiectum proprium amoris Dei, expreſſo actu intentio dirigatur, aliis denique voluntatis cum Diuina conformatio quæratur. Qua de re videri poſſet qui compoſitus eſt paruus tractatus. Nam tria hæc ad electionis regulam pertinent, ſuntque ſemper ad manum habenda vel ſingula, quod initio expedit: vel omnia ſimul, quod vſu ipſo acquiritur, fieri: vt ad menſuram iſtam non ſolum diſcamus omnes noſtras actiones internas exigere, ſed etiam ipſa perfectionis inſtrumenta, & media atque exercitia componere, cum verus eorum vſus à fine ipſo vel potius finis intentione prorſus dependeat. Ergo iterum repetendum eſt, omnino expedit, vt hæc norma non deponatur vnquam è manibus, quam merito vocare poſſumus inſtrumentum inſtrumentorum, & inſtituti ſocietatis ſummam.

CAPVT IX.

De oratione Mentali.

INter alia instrumenta præcedit dignitate augustissimum sacramentum & sacrificium; deinde officium Ecclesiasticum: quare videretur vtrumque orationi mentali præmittendum: verùm quia hæc si bene fiat, optima est ad illa dispositio, idcirco puto proximam ei post examen curam tribuendam. Est autem hæc materia amplissima, déque ea extant plurimorum tractatus. Suares tom. 1. de religione habet vnum de ea librum. Ex eo P. Du pont in suam ducem præcipua deriuauit. Libellus exercitiorum summam omnium continet; cæterum quæcumque de ea tradi solent præceptiones, etsi vtile sit eas ad certa capita bona methodo ad suum vsum reducere, tamen non bene intelliguntur vnquam, nisi frequenti earum exercitio à Deo lumen practicum hauriatur. Opus enim orationis opus Dei est, qui nos orare facit simul etiam orandi modum ostendit. Et certè excolendum est hoc instrumentum eo diligentiùs, quò & Deo nos magis vnit, & ad magna efficienda plus valet, debétque sibi quisque persuadere, se & eo fore in ea quam prosequitur perfectione, quæ in Dei amore consistit progressurum longiùs, & plus vtilitatis proximo allaturum, quo fuerit orationi magis deditus: qua etiam de causa in tertio anno plus temporis mentali orationi tribuitur, & commendatur omnibus vt cuiusque

cuiusque affectu & deuotione, sponte etiam diutiùs ei vacent.

CAPVT X.

De examine Conscientiæ.

POst orationem mentalem inter omnes spirituales exercitationes examen conscientiæ vtrumque primum locum tenet, eo quod valeat multum ad nostri cognitionem, & mortificationi ita inseruiat, vt ad illam potius spectare videatur vel ad vtramque pertineat. Nam vim tam orationis quam mortificationis continet aptè ad efficacem vitiorum medicinam: quare in vita spirituali nihil maioris momenti esse prudentes & experti iudicant: de eo scribunt multi. De paz, Riccius, Du pont, aptissimè autem coniungetur cum regulæ electionis praxi, sic vt per regulam illam facienda disponamus, & deinde ad eandem facta per examen discutiamus. Et quidem valde iuuat pridie vesperi de totius diei sequentis actionibus, earum præcipuè initio & fine, déque modo ipso decernere aliquid secundum regulam illam: sic enim fit vt ad illam veluti catenam annexæ actiones non tam fortuitis occasionibus prorumpant temerè, quã rectâ animi destinatione ordinatè emittantur, &, præeunte veluti ea face nihil in illis tenebrosum, nihil cœcum appareat. Ergo tribuendus vnus aut alter mensis, tum studio ipsi spiritualis huius exercitij, vt eius natura bene penetretur & ali-

quod ſcriptum commodum de eo conficiatur, tum praxi, vt cum quæ cognita ſunt ad vſum reuocantur, fiant ipſa experientia firmiora & clariora. Nec omittendum eſt vt notentur quæ ad hanc praxim Dominus communicauerit lumina, quod idem faciendum eſt in oratione & aliis exercitiis omnibus. Porrò particularis examinis primo menſe ſuſcipienda eſt cura. Nam eius ope, tum ſuſcepta pro eo tempore exercitia, tum cœteræ omnes actiones rectè componi & perfici debent.

CAPVT XI.

De Sacrificio, & Sacramento, & viſitatione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ.

CHriſtum Dominum in SS. Euchariſtia vel offerre ipſi nos, vel aliis offerentibus, adeſſe, vel recipere, aut ſaltem viſitare poſſumus. Atque hæc omnia quomodo rectè & fructuosè fieri poſſint in 3. anno inueſtigandum, ſtudio & ipſo vſu diſcendum. Et certè cum in Eccleſia Catholica nihil ſit dignius & vtilius, atque ad vnionem cum Deo efficacius, exiſtimandum eſt eſſe inſtrumentum ad perfectionem potentiſſimum, nec vllum eſſe, circa quod aptandum & perficiendum noſter omnis conatus occupari queat cum maiori merito & vtilitate: vtiliter autem ſibi quiſque eliget, primo, quæ ad excellentiam & æſtimationem tanti myſterij facere poſſunt; ſecundo, quæ ad præparationem Sacrificij ſpectant. Tertio quæ ipſam oblationem Sacrifi-

cij

cij perficiunt. Quarto quæ ad communionem pertinent. 5. Quæ, vt Sacrificio deuotè intereſſe poſſimus, iuuare queunt. 6. Denique quæ ad SS. Sacramentum crebro viſitandum cum fructu conducunt.

CAPVT XII.

De Officio Diuino.

PRoximam ſibi curam poſtulat Diuinum officium quod quoniam ex obligatione attentè & deuotè legendum incumbit, nemo non videt quanto opus ſtudio, vt quæ ad eam deuotionem pertinent procuremus. Itaque legendi hi authores qui deſcripſerunt inter quos P. Du pont in vltimo tomo operis; addi etiam omnino poſſet epiſtola R.N.P. Claudij Aquauiuæ ea de re, & P. de Paz. & eſſet vtile annotare ex vita P. Fabri eas induſtrias quibus S. ille vir ſolebat ſeſe in hoc exercitio ſubleuare. Et certè ſi doctrinæ de officio Diuino ſoliditati annectantur tam hæ induſtriæ, quã ſimiles multæ, quas diuina bonitas communicabit vbertim ei qui ſe diſponet, dici non poteſt quantum inde ſpiritualis luminis & feruoris hauriet.

CAPVT

CAPVT XIII.

De lectione spirituali, & aliis exercitiis.

NOn est opus singula percensere quæ supersunt: vno enim verbo dicendum est lectionis spiritualis, Litaniarum, & id genus piarum occupationum naturam inuestigandam esse studio, deinde praxi: Nec mirari quisquam debet in hac schola affectus ita commendari studium ipsum, cum vt iam diximus, plurimum momenti sit in eo, vt intellectus practicè illuminetur. Quare quamuis libelli pij, qui passim iam conscripti sunt de sola perfectione & eius praxi, vtiliter legi possint, tamen ea sola lectio non sufficiet, nam plerumque ad fundum vsque naturam illarum actionum non discutiunt, & licet quandoque attingant, tamen id faciunt ita leuiter & obscurè, vt non possit satis penetrari. Horum enim intentio est, facilioribus præceptionibus lectorum quorumcumque etiam imperitorum capacitati sese accommodare, itáque Tyrones docent, non formant magistros: docent quomodo vnaquæque actio facienda sit, nec supremas rerum causas & principia tradunt, sed, deductis inde conclusionibus, quasi quibusdam riuulis leuiter irrigant legentium animos. At verò longè vtiliùs est rem à suis vsque principiis accersere, & solida practicarum virtutum cognitione implere

intellectum

intellectum, ſic enim perpetuò voluntatem ſtimulabit, & non deſinet ducto à principiis diſcurſu practicis eam concluſionibus vrgere, vt in vſu adeò præſtantium inſtrumentorum perfecto non torpeat, quod non contingit quando leuiter tantùm capit intellectus harum actionum ſiue ſpiritualium inſtrumentorum naturam, facili lectione libellorum ſpiritualium contentus. Nam voluntatis feruor qui fortè excitatus erat ipſo vſu in tertio anno probationis, cum deinde aliis vacandum eſt æque facilè langueſcit: nec (cùm ſuis ipſe principiis deſtituatur) efficaciter ſatis excitari poteſt. Ergo huic omnino ſpirituali ſcientiæ non perfunctoriè, ſed ſolidè, ſerióque ſtudendum eſt, & tantum cuique exercitio temporis tribuendum, quantum dictabit prudentia, & particulares circunſtantiæ permittent. Meminiſſe autem ſemper oportet iungendam praxim & vſum proprium, quo fit vt ſcientia illa practica ſit, & ſcientia ſanctorum, & diuino lumine tanquam ſigillo quodam admirabili, & intellectui & voluntati profundiùs imprimatur.



CAPVT

CAPVT XVI.

Quod cum studio orationis iungenda sit mortificatio.

DVm pergit sensim excolere spiritualium actionum instrumenta, debet etiam, vt suprà monuimus, progredi æquè in studio & praxi Mortificationis, vt aptè mortificatio orationi adhæreat, nec enim hæc duo patiuntur à se inuicem diuelli, nam ex his componitur totum ædificium perfectionis, quod omnino ex vtraque parte assurgere æqualiter debet, nec spectari potest soliditas, nisi vtraque pars aptè committatur. Quare cum Deus voluit aliquos excellenti sanctitate ad suam gloriam ornare, eos initio conuersionis non orationis tantùm crebro vsu, sed acerrimo etiam mortificationis spiritu exercuit, vt prorsus eos mutaret sibíque aptaret. Sic S. Benedictum, authore D. Bernardo in sermone de eo, ita S. Franciscum, ita etiam B P. N. Manresæ. Certè experientia quotidiana docet eos ad Dei gloriam longe esse vtiliores, qui vel in 1. Nouitiatu hoc spiritu pleni fuerunt, vel postea siue in 3. anno, siue aliàs in variis occasionibus huic vitæ institerunt diligentiùs, & tempore aliquo congruo studio illi pro Deo perdendi seipsos animásque suas addixerunt. Cum enim ad societatem primùm accedimus, sicut est imperfecta satis Dei nostríque cognitio, ita mutatio vt plurimum non fit nisi superficie tenus; si non decrescit

decreſcit feruor, ſaltem non ſolet augeri, imò ſæpe multiplicantur, & corroborantur in perfectiones, quare poſt illa egemus maxima mutatione, quæ non ab oratione tantùm pendet, ſed etiam à mortificatione. Euertendum eſt igitur ſolum cordis noſtri, ſtudiorum occupationibus, & externarum rerum vanitatibus æquè vt ſpinis ſylueſcens, & mutandi penitus affectus & inclinationes, vt ſpirituali aratro non leuiter detonſa, ſed ad fundum vſque ſubacta terra animæ noſtræ, diuinæ ſationi ſit aptior ad multam frugum vbertatem. Ad hoc expedit ſtatim ab exercitiis veræ mortificationis & virtutum ad eam ſpectantium naturam inueſtigare, & eos authores legere qui de ea ſcripſerunt, & quandoque non erit inutile vbi eius naturam, cauſas, effectus, partes, attenta conſideratione penetrauerit, in breue aliquod ſcriptum dirigere non abſimili modo quàm ſolemus in Philoſophia & Theologia de vnaquaque materia ſuas tractationes componere: quo in opere velim haberi maximam rationem inſtituti, ſic vt quæcumque in Bullis Pontificum, conſtitutionibus, ordinationibus, epiſtolis PP. NN. hiſtoria ſocietatis, vitiſque PP. NN. ea de re habentur, non tantùm legantur attentè, ſed ſuis locis aptè concinnéque addantur, vt generalis de mortificatione ſcientia ad formam ſocietatis ſpiritus, temperetur & facilius ad noſtram praxim tota accommodetur. Id autem dum fit non poſſunt non venire in mentem quæcumque nos infeſtant malæ propenſiones cum ſuis remediis, quo fit vt ſcientia illa reddatur practica dum pœne in nobis multiplices imperfectionum fibras quas legendo ſpeculandóque

dóque inueſtigamus, vigere cernimus & horremus. Deinde quo quemque ordine atque armis aggredi & oppugnare debeamus, decernimus; quod ſi accedat executio ipſa, & vſus, feruénſque ac frequens mortificationis exercitium, iam ſpeculatiua illa ſcientia fit practica, vſu ipſo & experientia diſcimus, quid cuique imperfectioni malitiæ virium pertinaciæ inſit, quid in vnoquoque remedio poſitum ſit ſpei & efficaciæ ad victoriam, quæ vt certior, non eſt omittendum curandum eſſe vt regula electionis, id eſt maioris gloriæ Dei vel amoris, vel imitationis Chriſti ſingula mortificationis opera informet iuxta dicta §.12. probatur etiam plurimum vt ſi quæ occurrant lumina ſiue orando aut meditando, ſiue inter pugnandum, ea annotentur diligenter ſiue futura deinde adiumento, vſui, & praxi, ſiue additura aliquid clarioris cognitionis, ad id breue ſcriptum quod hac de materia collegimus. Porrò quod ad modum & ordinem, qui in hac praxi tenendus eſt, pertinet, cum in exercitiis ſpiritualibus quæ initio fiunt non tantùm orationis, vt diximus, ſed etiam mortificationis habenda ſit ratio: certè in iiſdem tota hæc fabrica veluti in plano delineari imò fundamenta eius poni debent, quæ deinde toto anno perficiantur; ſicut igitur in illis ſpirituales noſtras actiones, ſiue prædicta deuotionis inſtrumenta conſideramus in genere, & quem in ſingulorum praxi ſeruare velimus, ordinem conſtituimus; ita etiam eodem tempore mortificationis partes & praxim diſponere poſſumus, prout in Domino expedire videbitur. Is ordo rerum naturæ congruere videtur vt antè omnia paupertas excolatur, quam cum dico, in-

telligo odium ſui generoſum, quo fiat, vt primùm quidem ſeſe cœteris omnibus expoliet propter Dei amorem, adeo vt viliſſima etiam placeant: Deinde verò, quod pauperibus proprium eſt, in viliſſimis & laborioſiſſimis occupetur libenter. Præterea vt dolores, morbos,& id genus incommoda pauperum more ſuſtineat libenter. Denique omnibus contemptui ſe eſſe gaudeat; hæc enim ad paupertatem ſpectant, vel eius ſunt comites indiuidui: vnde immorari poterit in acquirenda ſingulari ſtudio humilitate quæ paupertatis quædam eſt pars. Deinde vero progredietur ad caſtitatem, & ſenſuum carniſque mortificationem. Denique obedientiam tum voluntatis, tum intellectus, & voluntatis ſuæ cum diuina conſtantem conformationem, non in genere tantum, ſed in particulari, & pleniſſimam indifferentiam tam quoad gradum, quam vniuerſas agendi occaſiones. Is certe ordo probandus magis quam ille alius quem plerique præſcribunt, nempe vt ad ſingulorum vitiorum capitalium expugnationem ordine aliquo procedat. Idque ob varias rationes quas omitto, quamquam & ex illo ordine in hunc deriuari aliquid poſſit: vitia enim capitalia radices ſunt, quæ niſi euellantur, nec poteſt eſſe perfecta paupertas, nec caſtitas, nec obedientia, fit tamen plerumque vt,cum plantamus has virtutes, malas radices euellamus eo labore, & è contra. Porro iterum hîc monendum eſt habendam eſſe ſemper rationem inſtituti, itaque omnino conſultandum eſt vt cuiuſque virtutis acquirendæ ſummam perfectionem ex regulis & conſtitutionibus ſibi ipſi tamquam exemplar & ideam

ideam efformet, & quæ alii de ea virtute dixerunt, ad eam accommodet, actuſque omnes tam internos quam externos ad eam aptare conetur.

CAPVT XV.

Comparanda notitia Inſtituti.

SIquæ dicta ſunt, ſeruentur; neceſſe eſt bonam cognitionis inſtituti partem valde vtiliter & practicè eſſe comparatam. Nam cum totum vocationis noſtræ negotium circa finem, id eſt, perfectionem & media verſetur, ſi cum tam fini quã mediis prædictis, orationi, meditationi, paupertati, humilitati, caſtitati, obdientiæ ſtuduimus, ſemper ea adiunxerimus quæ inſtituti ſunt propria, tam in Bullis pontificum & conſtitutionibus, quam epiſtolis & vitis P P. N N. & ſocietatis hiſtoria, certe quod interna media attinet, vix quicquam ſupererit, quod addiſcendum ſit: quare opus erit ſolum inſtituti formam & media externa conſiderare, legendo conſtitutiones; qua in lectione, ne ſterilis ſit, conandũ eſt vt excitemus amorem vocationis noſtræ, & diuinam prudentiam admiremur tanti operis hiſce noſtris temporibus artificem ad noſtram & tam multorum ſalutem, idque per ſeruum ſuum B. P. N. Ignatium: quantum autem temporis huic ſtudio tribuendum ſit prudenter ex circumſtantiis colliget. Certè non ſolet hæc cognitio in 3. anno perfici, quare plerumque valde expedit poſtea aliquid temporis eidem tribuere prout res feret.

De Salute

CAPVT XVI.

De Salute & Perfectione proximi procuranda.

HÆc est altera pars finis societatis, cuius etiam ne dimidium tantùm eius spiritum habere censeamur, & merito degeneres filij appellari possimus, summam curam habere debemus, omni quidem vita, sed præcipue 3. anno. Nam hoc maxime tempore vel parta vel concessa doctrinæ aliorumque talentorum Præsidia, solidiorum virtutum vi & maiori feruore spiritus imbuenda sunt, vt sint potentia Deo ad destructionem & ædificationem, efficiantúrque causa veluti in actu primo ad magnos circa proximum effectus, si ita placeat Deo. Imprimis ergo in tertio anno etiam finis hic expetendus, & solidè penetranda omnia quæ ad proximi charitatem & zelum animarum pertinent, & ad societatis spiritum accommodanda, simúlque omnibus mediis excitandus ille ipse zelus & ex eo tempore exercendus, prout occasio feret, sed præcipuè oratione, & mortificatione, vel, quod ex vtroque conflatur, vitæ sanctioris exemplo. Prospiciendi autem scopuli qui hîc latent plurimi. Primò nonnulli natura lentiores ex hoc tempore ad otia vitæ quietioris aspirant, & propositis in salute proximi difficultatibus facilè terrentur. Secundò alij incitantur vltra vires & corporis & animi, quibus periculum est, ne neglecto spiritu

& orationis ſtudio obruantur. Tertiò ſunt qui humanos fauores & applauſus etſi directè non intendant,tamen libenter magni faciunt ; quod virus niſi perpurgetur, dici non poteſt quantum impediat fructum , & quantorum periculorum cauſa ſit. Quartò ſunt etiam qui nimia opinione ſui concepta,iam ſibi has aut illas functiones deſtinant, non ſatis intelligentes ſalutem proximi opus eſſe Dei, à cuius voluntate proinde pendet, vti nobis vel aliis in hac , vel illa functione. Sunt multi ſimiles næui in zelo animarum qui detegendi, & conſideratione & affectu, vt pretioſum hoc zeli animarum aurum omni prorſus ſcoria expurgetur, & ſolius Dei puriſſimo igne inflammetur.

CAPVT XVII.

Ante omnes circa Domeſticos zelus exerceri debet.

Verus ſocietatis Filius, ſi provt debet verum etiam zelum animarum & gloriæ diuinæ habeat, imprimis illum oportet intra domeſticos parietes exerceat, & noſtros omnes quibuſcum viuere illum ex ſuauiſſimo Dei prouidentiæ ductu continget,ſiue in tertio anno, ſiue poſtea non ſolùm vera ſinceráque charitate proſequatur , ſed etiam quantum poterit in ſpiritu iuuare contendat. Cum enim ſocietatis perfectio tanti ſit momenti ad Dei gloriam, & proximi ſalutem,merito quiſque ſibi perſuadere debet ſe excellenter cooperari

cooperari gloriæ Dei & eidem ſaluti, ſi ſpirituali ſocietatis bono toto affectu ſtudeat. His ergo imprimis quæ ad fraternam inter ſe vnionem & ſanctius vinculum pertinent, & legiſſe & expendiſſe iuuabit, totoque affectu ſe in mutuo illo amore & voluntatum iudiciorúmque conſenſione exercuiſſe; quam in rem ſtudium orationis & mortificationis valdè neceſſarium eſt; deinde conſiderandum, numquid in commune omnium vel particulare ſingulorum bonum à nobis proficiſci poſſit. Et certè in tertio anno id magni momenti occurrit quo iuuare nos inuicem poſſimus, ſi ſingulari zelo diſciplinæ totius & regularum etiam minimarum ſeruandarum teneamur. Id enim ad ſocietatis conſeruationem & ſingulorum ædificationem ſummoperè eſt neceſſarium. Itaque refert magni, defectus illos qui leuitatis aut laxitatis aliquid continent, & neſcio quam libertatem & vanitatem ſpiritus, humilitatis & modeſtiæ diminutionem vel ſingularitatem inuehunt, notare, vt omni ratione vitari non tantum in tertio anno, ſed deinceps etiam in totam vitam poſſint. Certè ſacris religionibus nihil vnquam fuit pernicioſius, nihil ad ruinam potentius, quàm antiquiorum minus ad religioſam diſciplinam vita compoſita, ſermo, mores, laxitas, leuitas, libertas, ſingularitas non tam neceſſitate conceſſa, quàm vel importunitate vel veræ neceſſitatis falſis apprehenſionibus exortæ. Ne igitur in hæc mala quæ grauia ſunt opinione deueniat, maturè ſibi in tertio anno prouideat, & generoſa mortificatione vitam ſuam Deo conſecret, ſepoſito mortis vel morborum inani ſæpe metu, ſeruata tamen regula, vbi ſe male ha-

bere ſenſerit. Quod ſi ad vitæ & mortificationum exempla addat ſpiritualia colloquia non importunè ſed prudenter cũ modeſtia & affabilitate, certum eſt id plurimum poſſe afferre ædificationis. Eſt ergo à domo Domini incipiendum hac ratione zeli animarum exercitium, nec facilè perſuaſerit quis veram illum Dei gloriam, & proximorum ſalutem quærere foris, qui domi non ædificet, & ſocietatis conſeruationi & integritati, quæ tanti momenti eſt ad ſalutem animarum, non ſtudeat.

CAPVT XVIII.

Quomodo circa proximos exerceri debet animarum zelus.

VAria ſunt media quibus procurari poteſt ſalus proximi & perfectio. Primum illa locum obtinent quibus ſuprà diximus nos perfici, Oratio, Meditatio, Sacrificium Miſſæ, SS. Sacramentum, Confeſſio, Examen, Mortificatio; Nam ſi hæc omnia inſtrumenta efficacia experti ſumus ad noſtram perfectionem, quis dubitat quin & ſtudio accurato & vſu ipſo exculta & perfecta, atque adeò nobis iam familiaria & veluti ad manum, aptiora longe futura ſint quibus proximum iuuemus. Nam præterquam quod natura ipſa ita comparati ſumus, vt quibus nos veluti pleni ſumus, ea cum aliis communicemus, Dei ipſius qui hæc nobis media dedit, & eorum perfectum

perfectum vſum docuit, intentio eſt vt ea ipſa cæteris tradamus. Sicut itaque communiter fit, vt pater, quam profitetur fabrilem artem, quamque vtilem expertus eſt, filio tradat, ita hoc ſocietati videmus ab initio contigiſſe, vt per quæ adeò adiuti eſſent patres noſtri, aliis commendarent, & eo vtilius. Vnde & exercitiorum ſpiritualium, & Sacramentorum, & examinis vtriuſque vſus tam frequens profluxit, & certè id ortum eſt à primo ipſo ſocietatis ſpiritu. Nam poſtquam B. P. N. Manreſæ Deo veluti tradente fecit & compoſuit ex his, quæ experiebatur exercitia ſpiritualia, monente Spiritu ſancto quod expertus fuerat, aliis tradidit, tanto cum fructu vt videmus. Quare in exercitiis Spiritualibus in annot. 18. manifeſtè inſinuat, hominem ſocietatis in id perpetuo intentum eſſe debere, vt ſi ad exercitia ſpiritualia non promoueat, ſaltem in conuerſatione familiari cum hominibus aliquam ex his deſumptam praxim ſemper tradat. Atque inde videre etiam eſt, quàm coniuncta ſit noſtra perfectio cum proximi perfectione, quámque ſint aptiores & efficaciores ad Dei gloriam & ſalutem proximi, illi qui per inſtrumenta prædicta ſeriò ſuæ perfectioni ſtuduerunt quàm alij, denique quanti ſit momenti quæ Dominus in vſu illorum inſtrumentorum ſuggerit annotare, vt fecit B. P. N. & aliis quibus & nos & alios melius iuuare poſſimus.

CAPVT XIX.

De ſtudiis litterarum.

DOctrina ſolet eſſe quoddam vniuerſale inſtrumentum iuuandi proximum. Comparatur autem illa ſtudiis: verùm cum in 3. anno ſtudia confecta iam ſint, nihil de illis dicendum eſt. Proderit tamen admonere non fore inutile, ſi decurſa hactenus ſtudiorum ſtadia recogitet & reuoluat, ſerióque expendat quàm bene vel malè tempus expenderit, & profecerit in his facultatibus quibus dedit operam, quoſnam errores & defectus admiſerit, quas difficultates, tentationes, diminutionem ſpiritus, imperfectiones ſit expertus, quibus remediis vti poterat, & debebat, & id genus alia. Nam inde diſcet prudentiam, & poterit aliis ſolidiora dare conſilia cum res feret. Ita enim P. Faber ex propriis erroribus ſalubria aliis documenta confecit. Nec verò id etiam erit ipſi inutile. Nam functiones noſtræ quibus poſt 3. annum diſtinemur, ſtudium perpetuum requirunt, de quo tunc cogitare optimum eſt. Cauendum tamen ne præueniamus obedientiæ nutum, & nos certæ occupationi deſtinemus, ſed ſuſpenſi prorſus ex ſanctiſſima Dei voluntate expectemus motum; Itaque hæc conſideratio ſi fiat, vel non fiat, antequam moniti ſimus, cui rei ſimus applicandi, vel niſi in genere; Meminiſſe autem debet in comparanda doctrina habendam ſemper rationem finis noſtri, Maioris Dei gloriæ, qua ſi vtamur,

mur, non facilè curiosam, vanam, & inutilem sectabimur.

CAPVT XX.

De aliis Mediis ad iuuandum proximum.

GEnerale doctrinæ medium variis instrumentis continetur in Societate, quæ nullum propè excludit. Huc ergo spectant Sacramentorum, præcipuè Pœnitentiæ administratio, conciones, catechismi, lectiones tùm Theologiæ tùm aliæ, Exercitia spiritualia B.P.N. conuersatio. Hæc omnia quomodo fieri debeant, à peritis petendum. Directorium exercitiorum magni est momenti, & ideo legendum est attentè in ipsis exercitiis; his præterea annotatis quæ ad eam rem facere videbuntur. P. Polanci directorium pro audiendis confessionibus, & præcipuè pro morientibus iuuandis terendum assiduè. P. du Pont in vltimo operis tomo fere de iis omnibus tractat. Esset valde vtile non aggredi illa instrumenta simul aptare, sed singula duntaxat, & provt diximus de propriæ perfectionis instrumentis prudenter tum illos tum alios authores spirituales legere, atque ex his propriam nobis ad singulorum vsum methodum conficere, quàm deinceps provt occasiones sese dabunt, propria experientia & aliorum lectione partim augere, partim perficere possimus. Nec verò occurrit quid his addi possit. Nam in tertio anno hæc omnia non ita perfectè exercentur.

CAPVT XXI.

Quæ in tertio anno sunt inchoata; tota demum vita non tantùm exercenda, sed & perficienda sunt.

HÆc omnia tum propriæ, tum proximi perfectionis instrumenta tanta debent in tertio anno soliditate construi: vt non statim leuiter quod nonnullis contingit, vbi educti fuerunt, & ad opus admoti, frangantur & dissipentur, sed firma ad vitæ finem si fieri potest perseuerent. Verùm quia satis difficile est præstare illis vnico anno tantam támque solidam perfectionem, idcirco optimum consilium est, vt si perfici non queant, saltem ita inchoëntur, vt in posito fundamento non tantùm constanter insistatur, nihil in vsu ipso temerè mutando vel omittendo eorum quæ bene concepta sunt; sed etiam perficiantur, tandem. Quare non erit inutile methodum studij huius spiritualis præscribere; seruandum etiam deinceps pro ratione temporis, vt nimirum vno anno vnum exercitium spirituale, verbi gratia examen conscientiæ, vnam item virtutem, verbi gratia paupertatem, charitatem fraternam &c, item vnum instrumentum ad iuuandum proximum, verbi gratia, confessionum audiendarum rationem sibi quisque assumat excolendum & perficiendum, quamuis cætera non negligat: ita enim fiet vt & semper vtiliter occupetur

tur atque ſibi attendat, & intra paucos annos perfectus euadat operarius Societatis.

CAPVT XXII.

Ordo dierum in toto menſe.

QVotidie fiunt tres meditationes. Conſideratio Regularum per horam. Conſideratio alicuius actionis per mediam horam. Lectio libelli exercitiorum & directorij. Lectio ſpiritualis alicuius libelli pij vel tractatus apti ad id quod intenditur.

Meditatio prima. Fiet ab hora quinta mediatâ ad ſextam mediatam niſi quis malit ab hora 4. mediata ad 5. mediatam.

Poſt meditationem ſequetur examen meditationis, & annotatio fructus ex ea percepti, conſiderando præcipuè quomodo ad quotidianarum actionum praxim accommodari poſſit.

Deinde vel fiet ſacrum, vel legetur libellus exercitiorum cum Directorio, in qua lectione id obſeruandum, vt ea vnoquoque die legantur, quæ ad eius diei exercitia ſpectant.

Hoc facto fiet conſideratio alicuius actionis diei, in qua conſideratione hæc forma ſeruanda eſt. Primo enim perpendetur quæ ſit natura eius actionis, & quomodo perfectiſſimè obiri queat, & etiam debeat ab homine ſocietatis. Secundò attendēdum eſt, quàm procul ab ea perfectione receſſimus: vbi notandum quinam defectus commiſſi, quænam perfectio omiſſa. Tertio quid remedij

medij adhiberi possit & debeat. Quartò, Defectus & remedia scripto notanda sunt.

Obseruandum verò est, fieri posse, vt non possit vna aliqua actio vna die satis perfectè considerari, egeátque longiori tempore, quare poterit aliquando hæc consideratio eiúsque puncta diuidi in duos vel tres dies. Præterea si non fieri possit matutino tempore, fiet à prandio.

Peracta consideratione vno quadrante, præparabitur meditatio sequens.

Hora 9. fiet secunda meditatio vsque ad decimam, quam sequetur examen prout iam dictum est.

Conscientiæ examen hora consueta fieri debet, accuratè secundum B.P.N. formam, vt non tantùm consideratione, sed vsu ipso & praxi defectus consueti emendentur, & consuetudo malè hoc vtendi, meliori consuetudine aboleatur. Quod etiam obseruandum est in reliquis diei actionibus: hoc enim tempore, si vnquam aliàs, eas perfecte formare debemus.

Particulare porrò examen poterit fieri de hoc ordine seruando, & actionibus istis omnibus quæ in exercitiis fiunt bene formandis, sicvt pro errato notetur, si quid non fuerit factum vel non ita perfectè, vt Annotationes meditationis, Examinum, & aliæ præscribunt: Poterit verò fieri vel cum generali, vel post prandium.

In prandio & quoties in publicum prodeundum erit, operæ pretium erit habere specialem modestiæ rationem, & eius regulas, eas præcipuè quæ ad capitis, oculorum, & totius corporis compositionem spectant, diligenter obseruare.

In recreatione expediet suauiter deambulando,

do & nulli rei ſeriæ attendendo,animum relaxare, vel recitare roſarium,ſine vlla tamen animi contentione,vel cubiculum componere,aut quid ſimile agere,quod & diſtrahat animum,& tamen non diſſoluat.

Sequetur deinde lectio ſpiritualis libelli vel tractatus pij.

Tum hora ſecunda ad tertiam fiet conſideratio regularum. Primo quidem ſummarij;deinde communium,denique ſacerdotum,& aliarum propriarum:

Inde vſque ad 4.Lectio ſpiritualis.Hora 4.officium.

Hora quinta ad ſextam meditatio tertia.

Poſt cœnam proderit examen particulare inſtituere de totius diei actionibus, vbi etiam præter defectus,vtile erit memoria repetere,tum lumina, tum bona propoſita à Deo tota die communicata.

Primo Die.

Legetur inſtructio pro tertio anno,& ſi ita placet modus vtiliter tertium annum peragendi.

A prandio legentur 20.Annotationes & conſiderationes ad eas,in quibus agitur de natura exercitiorum,eorum fine,mediis, & diſpoſitione neceſſaria ad illa vtiliter facienda.

Hora 4.fiet meditatio quæ continet præparationem ad exercitia.

Secundo Die.

Prima meditatio de fundamento.

Legentur

Legentur in libello 20. Annotationes & conſiderationes ad eas factæ, ſi forte lectæ vel ſatis expenſæ non fuerint, ſunt enim magni momenti ad exercitia omnia.

Conſideratio eſſe poterit de iis quæ fiunt ab examine veſpertino vſque ad meditationem ſequentis diei, ſiue de actionibus parandi ſe ad lectum cubandi, dormiendi, ſurgendi, parandi ſe ad meditationem.

Secũda meditatio erit repetitio fundamenti, in qua ipſe finis creationis tanquam certa regula ad res eas quæ in ſocietate indifferentes ſunt, vel eſſe poſſunt, potiſſimum applicandus eſt.

Pag. 23. a. Lectio ſpiritualis à prandio erit de Regularum conſideratione.

Hora 2. 4. aut 5. primæ regulæ conſiderabuntur.

Pag. 35. b. Tertia Meditatio erit de peccato triplici: ad eam autem meditationem paulo maior præparatio requiritur, quia continet modum meditandi, qui diligenter erit conſiderandus: Quare ſtatim poſt regularum conſiderationem id eſt hora. 3. legendus eſt.

Tertio Die.

Pag. 45. b. Prima meditatio erit de peccatis.

Legentur in libro additiones ad exercitia melius agenda.

Conſideratio erit de meditatione quotidiana.

Secunda meditatio erit repetitio.

Pag. 39. b. Lectio ſpiritualis erit de fine exercitiorum, vt ex eo ſcripto perueniamus ad certam notitiam imperfectionum noſtrarum.

Regulæ

Regulæ eæ considerabuntur quæ suo ordine sequuntur.

Tertia meditatio de morte.

Quarto Die.

Prima meditatio erit de iudicio priuato. Pag. 8. b.

Legetur ex libello de examine particulari.

Consideratio fiet de praxi eiusdem examinis particularis.

Secunda meditatio erit repetitio; siue præparatio ad mortem & iudicium. Pag. 50. b.

Lectio spiritualis eadem: scilicet de fine exercitiorum vel de examine particulari.

Regulæ suo ordine sequentes cõsiderabuntur.

Tertia meditatio, de iudicio generali, vel de primo modo orandi. Pa. 52. b.

Quinto Die.

Prima meditatio de inferno. Pag. 53 b.

Lectio in libello de examine generali, & confessione tum generali tum particulari. De qua fiet consideratio.

Toto hoc die poterit parari & fieri confessio generalis, paulo ante eam vel post, Meditatio esse poterit de filio prodigo, siue manè confessio fiat, siue vesperi. Pag. 160. a. Pag. 151. a. Pag. 56. b.

Sexto Die.

Meditatio. De pœnitentiæ fructibus. Pag. 54. b.

Consideratio erit præparatio ad reddendam rationem conscientiæ, quæ eadem die fiet de tota vita in societate acta. Pag. 109. a.

Addi

Addi poterit lectio primi modi orandi in libello.

Septimo Die.

Hoc die poterit vacare,& vti aliqua recapitulatione colligendo fructum, quem in hac prima hebdomada percepit. Iuuabit etiam verò suauiter legere de examine quotidiano.

Octauo Die.

Prima meditatio de Regno Christi.

Pag. 59. a.

Legentur ex libello additiones pro 2. hebdomada,

Consideratio. De praxi rerum Sacramentalium vt aquæ Benedictæ, Agnorum Dei, &c. in quorum vsu qui debet esse frequentissimus, requiritur magna fides imo cum Christo, & Ecclesia reuerentia.

Lectio poterit esse de amore vel de imitatione Christi, aut de natura perfectionis & secundo eius statu, quæ lectio poterit hac tota septimana continuari.

Pag. 65. b.

Secunda meditatio. De Christi incarnatione.

Tertia Meditatio erit repetitio.

Nono Die.

Pag. 66. b.

Prima meditatio, De Christi natiuitate.

Legentur in libello regulæ, de spirituum discretione primæ, etsi illæ videantur pertinere ad primam hebdomadam.

Consideratio

Conſideratio erit. De lectione ſpirituali.
Secunda meditatio erit de circuncifione.
Lectio ſpiritualis eſſe poterit de Chriſti amore, vel imitatione in genere, vel in iis præcipuè virtutibus quæ in illis myſteriis elucent, nempe humilitate, paupertate, & mortificatione. Pag. 67. b.
Tertia, Repetitio erit.

Decimo Die.

Prima meditatio. De purificatione.
Legetur in libello ſecundus orandi modus. Pag. 68. b.
Conſideratio erit, de officio Diuino perſoluendo.
Secunda meditatio, de fuga in Ægyptum.
Lectio ſpiritualis vt ſupra, hîc verò poterit eſſe de Chriſti imitatione in religione laboribus & afflictionibus. Pag. 69. b.
Regulæ ſuo ordine ſequentes conſiderabuntur,
Tertia meditatio erit repetitio.

Vndecimo Die.

Prima meditatio. De Chriſto Hieroſolymis remanente. Pag. 70. b:
Legentur in libello Regulæ poſteriores de ſpirituum diſcretione.
Conſideratio, de oratione vocali, Litaniis, roſario, ſalutatione Angelica, vbi diſponendum, quare fiant aut fieri oporteat, & quomodo,
Secunda meditatio, de vita Chriſti ab anno duodecimo ad 30. vel de vexillis. Pag 71. b.
Lectio vt ſupra, addi poteſt de vita communi Pag. 72. b.
Chriſti

Christi: Item de obedientia.

Regulæ sequentes.

Tertia meditatio erit repetitio.

Duodecimo Die.

Prima meditatio de vexillis, vel de vita Christi ad annum 30.

Pag.76. a. Pag. etiam 86. huius libri.

Legetur in libello de Electione.

Consideratio de priuatis corporis mortificationibus, & castitate.

Secunda meditatio erit de Baptismo Christi, vel repetitio præced.

Pag.78. b.

Regulæ quæ sequuntur.

Tertia meditatio erit repetitio de Baptismo Christi.

Decimo tertio Die.

Pag.79. b.

Prima meditatio de tentationibus Christi.

Legetur in libello & directorio, aliquid de Electione.

Consideratio. De mortificationibus sensuum & linguæ.

Pag.81. b.

Secunda meditatio. De vocatione Apostolorum.

Regularum sequentium consideratio.

Debet fieri lectio, de ordine in vita spirituali seruanda, & impedimentis perfectionis.

Pag. 128.b.

Tertia meditatio de Christi documentis.

Pag.82. b.

Decimo quarto Dei.

Pag 84.a.

Prima meditatio. De tribus modis humilitatis.

Lectio de electione continuabitur.

Toto reliquo tempore fiet electio de gradu perfectionis, ad quem aſpirare conueniat, etſi enim per 2. tempus id aliquando conſtet, tamen ſeruanda B. P. N. admonitio, nempe non poſſe eſſe non vtile adhibere 3. tempus per 1. & 2. modum bonæ electionis. Pag. 86. b. & Pag. 89.

Sub veſperum poterit fieri repetitio.

Decimo quinto Die.

Prima meditatio de tribus hominum claſſibus. Pag. 88. b.

Legi poterit in libello de vitæ emendatione.

Conſideratio, de praxi primi modi eligendi in ſingulis actionibus, ſiue de puritate intentionis.

Secunda meditatio erit repetitio de tribus modis humilitatis, & tribus claſſibus ſimul, niſi fiat alia electio.

Tertia meditatio erit vtriuſque repetitio.

Decimo ſexto Die.

Prima meditatio de Diſcipulis miſſis ad prædicandum. Pag. 91. a.

Legi poterunt Regulæ de fide orthodoxa.

Conſideratio de ſtudiis.

Secunda meditatio, de zelo animarum. Pag. 92. b.

Tertia repetitio.

Decimo ſeptimo Die.

Prima meditatio, de paupertate Apoſtolica. Pag. 94. b.

Legi poterunt regulæ de victu temperando.

Consideratio, de praxi paupertatis, vel de Refectione.

Pag. 95.b. Secunda meditatio, de Mortificatione Apostolica.

Tertia repetitio.

Decimo octauo Die.

Pag. 96.b. Prima meditatio, de contemptu mundi.

Legi poterit de scrupulis.

Consideratio, de conuersatione cum nostris.

Pag. 98.a. Secunda meditatio, de humilitate.

Tertia repetitio.

Decimo nono Die.

Pag. 99.b. Prima meditatio, de diffidentia sui & confidentia in Deo.

Legi poterit de Eleemosynis.

Consideratio, de conuersatione cum externis.

Pag. 100.b. Secunda meditatio, de oratione.

Tertia repetitio.

Vigesimo Die.

Pag. 102.a. Prima meditatio, de conformitate cum voluntate Dei, & obedientia in functionibus.

Lectio, in Directorio.

Consideratio, de sanctissimo Sacrificio.

Secunda meditatio, de præparatione Christi, ad

ad Paſſionem.
Tertia. Repetitio.

Vigeſimo primo Die.

Prima meditatio, de Myſteriis in horto geſtis. Pag. 116.b.
Lectio, in Directorio.
Conſideratio de Sacrificio Miſſæ.
Secunda meditatio, de Chriſti comprehenſione. Pag. 119.b.
Tertia. repetitio.

Vigeſimo ſecundo Die.

Prima meditatio, de geſtis in domo Caiphæ. Ibid b.
Conſideratio, de viſitando Sancto Sacramento.
Secunda, de accuſatione apud Pilatum. Ibid. b.
Tertia. repetitio.

Vigeſimo tertio Die.

Prima meditatio, de tranſmiſſo Chriſto ad Herodem. Pag. 120.a.
Secunda, de reuerſione ab Herode ad Pilatum. Ibid. a.
Tertia. repetitio.
Conſideratio, de refectione corporis.

Vigeſimo quarto Die.

Prima meditatio, de crucifixione Chriſti Ieſu. Ibid. a.

Ibid.a. Secunda de Mysteriis in cruce factis.
Ibid.b. Tertia.de sepultura.

Consideratio,de relaxatione animi & recreatione corpori danda.

Vigesimo quinto Die.

Pag. 123.b. Prima meditatio,de Christi Resurrectionis Mysterio.

Secunda,de Christi apparitione facta Apostolis absente Thoma.Ioan.20.

Tertia.Repetitio.

Consideratio , de functionibus circa proximum.

Vigesimo sexto Die.

Ibid.b. Prima Meditatio , de Apparitione in monte Thabor.Matth.vlt.cap.

Ibid. Secunda,de Domini Ascensione.

Tertia. Repetitio.

Consideratio , de functionibus circa proximum.

Vigesimo septimo Die.

Prima Meditatio,de missione Sancti Spiritus.

Secunda,de sanctitate fidelium post missionem Spiritus Sancti.

Tertia.Repetitio.

Consideratio,de functionibus circa proximum.

Vigesimo octauo Die.

Prima Meditatio,de beatitudine Sanctorum.

Secunda,

Secunda, de corporis gloria.

Tertia. Repetitio.

Consideratio, de deuotione erga B. Virginem & Sanctos.

Vigesimo nono Die.

Meditatio, de amore spirituali quæ tota die repetetur. Pag. 126. b.

Consideratio, de praxi præsentiæ Dei.

Trigesimo Die.

Fructus Exercitiorum colligentur, & notabuntur defectus.

CAPVT. XXIII.

Quomodo fieri debeat Regularum Consideratio.

PARAGRAPHVS I.

Eius Necessitas.

QVi perfectionis ædificium in se construere in religiosa familia aggressus est, debet imprimis eius ædificij ideam sibi quamdam in animo suo formasse, ad cuius similitudinem postea sese suósque omnes mores fingat & componat. Est enim exemplar veluti complementum causæ efficientis, vt aliquid efficere queat. Quare de-

bet frequenter dum in opere progreditur, eam ipſam intueri, & ad eam omnia ſua dicta, facta, & cogitata examinare: verum quia præſtans illa perfectionis forma, vel non poteſt initio à tyrone concipi tota, & vt in ſe eſt, ſed ſenſim & ipſo vſu, vt experientia conſtat, vel licet aliquando concepta accuratè menti inhæſerit, ſenſim tamen noſtris imperfectionibus atteritur quodammodo & euaneſcit, ſic vt eam in nobis ipſis vix ampliùs inſpicere poſſimus, ſaltem eo modo vt idea practica eſſe queat: Idcirco opus fuit externum quoddam exemplar effictum ad eius imitationem ante oculos habere propoſitum, vt iuuet nos ad veram ideam perfectionis in animo vel efformandam, vel renouandam, qua deinde vtamur in efficienda ipſo facto ſtructura. Hoc præſtant in vnoquoque ordine leges ſeu regulæ & conſtitutiones, quæ vere & proprie aliud nihil quàm forma eius perfectionis quæ cuique propoſita eſt. Cum enim ea ipſa forma non ſit ſimplex, ſed varias habeat partes, & varia virtutum omnium officia ad finem talis inſtituti aptè accommodata atque attemperata, non poteſt ita paucis explicari, ſed diſſecta in ſua membra proponi debet, vt ſit ad vſum & praxim accommodatior. Atque hæc ipſa membra nihil aliud ſunt, quàm regulæ, quarum crebra inſpectione, conſideratione, vſuque tyrones ſenſim acquirunt internam ideam (ſine qua fieri nullo modo poteſt vt perfectionis ædificium conſtruant) & ſenſim etiam ædificant practicéque totam in ſe exprimunt. Alij verò vel perficiunt eandem ideam vel deletam reparant, vel cum vita priſtina moribúſque conferentes intelligunt, quid à ſe peccatum ſit hactenus, atque adeò

toti

toti ſuo ſe inſtituto conformantes, diſperſas tot in regulis formæ illius Diuinæ partes in ſe colligunt, & eam integrè repræſentant. Propter quas rationes valde neceſſaria eſt cuique attenta inſpectio inſtituti, tum præcipuè cum de renouatione agitur, ſed vt rectè fiat, nonnulla videntur præmittenda de regularum obſeruantia, excellentia, obligatione, & obſeruatione.

PARAGRAPHVS. II.

Quanta ſit regularum noſtrarum præſtantia.

REgulàrum noſtrarum author eſt Deus ipſe, vt & religionum. Is enim vt infinita ſua bonitate ad ſupernaturalem finem media inſtituit diuerſa, diuerſis temporibus pro infinita ſua ſapientia. Ipſe enim habet in ſe ſolus innumera exemplaria vitæ perfectioris, & ex illo ſuo theſauro exprompſit eam religioſorum inſtitutorum varietatem, quæ in Eccleſia cernuntur, quando & quomodo ei viſum fuit. Hoc verò tempore cum deficit fides & charitas refrigeſcit, nouam hanc ideam miſeris hiſce temporibus aptiſſimam in mundo exhibuit. Nec enim dubium eſſe poteſt quin opus ſit magnum eius inſtituti ſocietatis forma, qua tam multi adeò ſecurè & certò ad ſuũ finem iuuantur, cum eiuſdem ſit eiuſmodi mediorum adeò excellentium inſtitutio cuius eſt finis intentio.

Hanc ergo vitæ formam ab æterno in ſui conſilij decreto abſconditam cum diuina mens tradere mundo voluit,vſus eſt ad id P.B.Ignatio,viro prudentia pariter & ſanctitate inſigni, cui per multos annos & variis modis exercitato ipſémet antea eam ipſam impreſſit altiſſimè, nec tamen voluit vt quam conceperat ideam effunderet, ſed id fieri voluit longa parturitione. Nam nihil ſcripſit, niſi prius petito à Deo conſilio, multiſque precibus lachrymiſque fuſis, multis oblatis ſacrificiis,acceptis etiam viciſſim à Deo plurimis illuſtrationibus, quibus dirigebatur ad regulas æterno illi exemplari conformandas.

Vt vero faciliùs, & ad humanæ vitæ vſum accommodatiùs hanc in ſe primum,deinde in ipſis conſtitutionibus ideam efformaret, diuina quadã & admirabili luce Spiritus ſancti perfuſus in Chriſti vitam intendit oculos; & quia in eo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei, ac proinde vnus ipſe abſolutiſſimum perfectionis exemplar viſibile continens, eminenter omnes formas vitæ perfectioris, ex eo ſolerti manu, quam poſſet ſolidiſſimã vitæ religioſæ imaginem, non tam abſtractis animo diuinæ ſimilitudinis coloribus, parum ad vſum aptis effulgentem, quàm veris firmiſque virtutum omnium præſidiis conſtantem, & viua practicaque vitæ Chriſti luce interius, exteriúſque perfuſam depingeret.

Hoc vt melius præſtaret, duce & monſtrante Deo iam inde ab initio ſuæ conuerſionis conatus eſt penetrare ea omnia,quæ de Chriſti Domini vita literæ ſacræ habent, & per annos 34. circiter aſſidua meditatione, Chriſti Domini dicta, facta, deſideria, cogitationes continuò expendens

dens,ſimúlque quam ex primis conuerſionis annis hauſerat vitæ formam, & in libello exercitiorum deſcripſerat, longo vsu crebriſque inſpirationibus, necnon & perſecutionibus probatam, totis decem conſtitutionum partibus expreſſit. Nihil enim ſunt ſingulæ ſocietatis regulæ quam vitæ ſpiritualis documenta, & veluti axiomata ex ipſis Chriſti exemplis & dictis expreſſa, vel dictamina quædam æternæ Dei voluntatis & ſapientiæ in mentis diuinæ idea deſcripta, primum in prototypo exemplari Chriſto Domino & exinde nobis propoſita, vt per ea vtrumque hoc exemplar melius concipiamus & animo apprehendamus,& ei nos conformemus.

Inde fit, vt regulæ noſtræ contineant totius Euangelicæ perfectionis ſummam,& quidquid ab aliis authoribus & religionum fundatoribus de perfectione traditum eſt, vt variis tractatibus diſperſum,his collectum comprehenſúmque ſit non temerè,ſed ita vt vnam formam aptè concinnéque efficiat, qua (ſi adhibeatur) facilè totus homo diſponatur optimè ad finem propriæ perfectionis & aliorum,ad Dei gloriam per media aptiſſima, & efficaciſſima attingendam. Per eam enim totus homo emendatur, & regitur, cogitationes, verba,facta ad exemplar efformantur, ſenſus omnes & membra diriguntur, denique quicquid eſt vel intrinſecum in homine vel extrinſecum, ita componitur,vt aduerſus Deum, proximum, & ſeipſum excellenti modo ſeruet officium.Quare cum ſint media & inſtrumenta,quibus nos Diuina prouidentia ad noſtrum finem deducere ſtatuit; certum eſt eò ſe magis ab illius prouidentiæ gubernatione ſubtrahere, & eò longius

gius à fine suo,& Christi Domini imitatione,ideâque proposita recedere quemque,quò regularum obseruatione magis deficit.

PARAGRAPHVS III.

Quæ sit earum obligatio.

VT verò intelligatur,quo eæ spiritu & fine modóque debeant obseruari, operæ pretium est nosse quanta sit earum obligatio.

Et quidem certum nullam regulam esse in societate,cuius violatio , si per se & præcisè violetur, vt est violatio talis regulæ, sit peccatum aut mortale aut veniale , obligatio enim legis positiuæ pendet ex voluntate Legis-latoris volentis per eam subditos obligare. Author verò nostrarum regularum explicuit expresse, nolle se vt illæ ad peccatum obligent , tribuunt tamen ius superiori imponendi pœnitentias seu afflictiones corporis eas violantibus.Hæc enim fuit intentio authoris, & hoc modo à singulis sunt acceptatæ.

Quamuis autem per se non habeant vim obligandi , potest tamen fieri vt aliunde ita in conscientiâ obligent , vt,si contra eas fiat , peccatum committatur ; hoc autem multis modis contingit : Primo ratione voti ; sic enim , omnes quæ pertinent ad vsum rerum , donationem,acceptionem , commutationem obligant sub peccato vt 24. 26. 27. summ.de qua 27. videndus est Molina tom. 3. de instit.Item 7.8.9.11.17.25.ex communibus,

nibus,vſus enim vel vſurpatio cuiuſque rei abſque dependentia à voluntate Superioris peccatum eſt in votum paupertatis , etſi non ſemper mortale propter materiæ prauitatem , ſic etiam eæ quæ de obedientia agunt, vt ſunt à 31. in ſumm. ſæpe poſſunt obligare vi voti obdientiæ. Secundo plurimæ poſſunt ſub peccato obligare ratione alicuius virtutis, conſiderata maximè modeſtia, maturitate, & ædificatione quam iure naturæ tenetur præbere Religioſus Societatis, id eſt talis religionis quæ eſt ad talem finem inſtituta, tales ſunt in ſumm. 6. 8. 10. 14.16.17.21.22.28.29.30. 40.43.44. 45.46. ex communibus. 13.19.20.22. 23.24.28.29.30.31.32. 34.37. 38. &aliæ ſimiles. Nam quod illis continetur,fere totum ad ius naturale & leges virtutum tali inſtituto vt eius fini neceſſariarum pertinet, vt quiuis deprehendet ſi em bene expendit ; ita cernitur in regulis pene omnium officiorum particularium.

Tertio. Poſſunt obligare ratione peculiari expreſſæ promiſſionis , vt eſt 9. vt quiſque ſit contentus ſuos defectus ad ſuperiorem deferri, & 40. de reddenda ratione conſcientiæ. Nam hæ duæ ſolent particulariter proponi & expreſsè ; quoad alias verò omnes &ſi quiſq; in genere promittat ſe eas ſeruaturum , non tamen vi promiſſionis cenſetur ſe ita obligaſſe ad ſingulas obſeruandas , vt ſi aliquam violarit, cenſeatur contra promiſſionem peccaſſe. Nam vi talis promiſſionis tenetur tantum retinere generale propoſitum ſeruandi regulas omnes, & vitam ſuam illis conformandi. Hoc autem tantum intendit Societas cum illam promiſſionem exigit : nam ſine tali propoſito non vellet eum retinere, quod ſi illud

ſimularet ſe habere , grauiter certè Societatem deciperet , cenſetur autem tantum promittere ſe conſeruaturum generale illud propoſitum , non autem ſingulas regulas quauis occaſione ſeruaturum. Neque Societas hoc ab illo requirit , ſed tantum bona fide agat, & ſi labi contigerit, non detrectet pœnitentiam. Quarto. Ratione ſcandali hoc modo plerumque peccatum eſt violatio regulæ coram aliis , etſi reuera illi non peruertantur. Non enim Societatis religioſus ab omni tantum malo tenetur abſtinere , ſed etiam ab omni ſpecie mali vt monet Apoſtolus, & hoc propter alios. Atque violatio regulæ coram aliis ſine dubio habet ſpeciem mali. Quinto. Ratione læſionis diſciplinæ , pulchritudo enim & decor religioſæ familiæ conſiſtit in bona diſciplina ſeu conformatione morum cum regulis , ſicut enim mirè ornat religionem ſi in ea ſeruetur ſilentium, ſi omnia tranquilla ſint, omnia bene compoſita ; ſi omnes ſtatis temporibus ſurgant, orent, ſtudeant , comedant , corpus exerceant , morem ſuperioribus gerant , &c. ita è contrario illam inficit & dedecorat, ſi omnia plena ſint tumultu, ſtrepitu , cachinnis, ſi loca publica ſint immunda , ſi quiſque ſurgit, orat , dormit, comedit cum lubet, ſi nulla cum Superioribus coniunctio , nulla erga illos vel ſocios reuerentia. Qui ergo violando regulam aliquam notabiliter lædit diſciplinam , haud dubiè peccat , quia magnum religionis bonum & ornamentum euertit vel commaculat , imo ratione huius læſionis regulæ poſſet eſſe graue peccatum , ſi nimirum ſequeretur grauis læſio diſciplinæ , vt cum quis ſua libertate & laxitate alios ad laxitatem inducit. Ob eamdem cauſam Superiores grauiter peccant, qui

ſua negligentia patiuntur diſciplinam collabi, & ſubditi certè qui nolunt ſe ad eam accommodare, vel eo ſunt ingenio, vt non ſit ſpes quod ſeſe ſint accommodaturi, debent eiici tanquam pernicioſi bono Societatis. Sextò ratione negligentiæ (inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. 168. ar. 1. Caietanus, Valentia ibid.) hoc verò habet locum imprimis in iis quæ ſpectant ad cultum diuinum, vt ſi quis ex torpore quodam omitteret meditationem, lectionem ſacram, examen: eſt enim ille torpor acediæ peccatum, quod quiſque vitare tenetur. Idem ſi iſta quidem quis præſtet, ſed oſcitanter & perfunctoriè: Deinde locum etiam habet in aliis omnibus. Nam omiſſio eorum ex negligentia peccatum eſt; vt ſi ex negligentia omittas lectionem, ſtudium, officia charitatis in proximum & alia bona opera. Nam homo tenetur vt non agat vel omittat quicquam ex tædio laboris. Septimo. Si ex libidine regulam violat (inquit B. Thomas, ſuprà) id eſt (vt exponit Caietanus, Valentia, & alij ibid.) ex nimia cupiditate, vel alio affectu minus ordinato. Sic ſæpè violatur ſilentium, comeditur, vel bibitur extra tempus, luditur &c. Quidquid enim eſt ex motu affectuum inordinato etſi ex ſe ſit indifferens, peccatum eſt. Octauo, Ratione contemptus vt ait D. Thom. ſuprà: poteſt autem hîc contemptus fieri tribus modis. Primo. Si nihil vel parui æſtimas totam regulam, & ideo nullam curam habes eius ſeruandæ, & hoc ſine dubio graue peccatum eſt imo mortiferum: nam ex vi votorum teneris habere propoſitum generale viuendi ſecundum regulam (vt colligitur ex B. Thoma ſuprà:) ſi tamen non cures ſeruare vnam

vnam regulam, quia parua eſt, retinens propoſitum ſeruandi alias, non eſt mortale. Secundò, ſi nolis eam ſeruare ne te illi aut ſuperiori ſubiicias, verbi gratia ſi frangas ſilentium, omittas meditationem, ne te poteſtati vel regimini Superioris aut legis ſubmittas, hoc eſt omnino mortiferum. Nam vi voti obedientiæ propriè te ſubiecisti regulæ & poteſtati Superioris, vt omnes docent. Differunt autem hi duo modi, quia aliud eſt non habere curam vel propoſitum ſeruandi regulam, aliud nolle eſſe ſubiectum: hoc enim ſpeciale peccatum eſt inobedientiæ, non autem prius. Tertiò, ſi nolis ſeruare regulam, & ſic oſtendas te illam & eius authorem nihili pendere, & hoc eſt etiam graue peccatum, vt patet. Nam continet odium formale ſaltem, ſæpe & contemptum perſonæ qui poteſt ſæpe tranſire in formalem inobediẽtiam.

Atque ex his conſtat ſatis quantum obligent ſocietatis regulæ, & quomodo intelligi debeat; quod canone 13. Congr. 3. & can. 13. Congr. 4. dicitur, Omnes qui de ſocietate ſunt, teneri ad regularum obſeruationem.

PARAGRAPHVS. IV.

Qualis debeat eſſe regularum Obſeruatio.

CVm & ſocietatis conſeruatio, bonáque adminiſtratio, ac progreſſus, & priuatum cuiuſque bonum magnopere pendeat ex regularum obſeruatione, magni refert vt hæc obſeruatio

plena

plena ſit & perfecta:vt verò talis ſit,has conditiones requirit.

Primò debet ex amore eſſe non timore, idèoque earum author non voluit eas ſub peccato obligare, ſed iudicauit ſatis eſſe ſocietatis generoſis Filiis, ſi illis tantùm proponerentur, vt media & inſtrumenta certiſſima diuinæ gloriæ, quibus certò & efficaciter iuuamur vt ei placeamus. Certè diuina bonitas non potuit euidentiùs æternum ſuum in nos amorem declarare, quàm vocando nos ex mundi periculis ad ſocietatem;hoc verò beneficium ideo tantùm eſt, quia ſocietatis inſtitutum firmum ſolidúmque eſt & perfectum. Tale autem eſt quia hiſce regulis conſtat: quare cogitandum eſt regulas eſſe nobis à Deo conceſſas ex amore illo infinito, quo nos proſequitur, non tantùm vt ſint nobis amoris eius teſtimonia, ſed vincula etiam quibus nos ad ſe traheret, ſibíque vniret: ſicut ergo ex amore noſtri boni hanc nobis è cœlo ſcalam demiſit, per cuius gradus aſcendamus; ita etiam nos ex eius amore debemus per eoſdem gradus aſcendere, vt tandem ei vniamur.

Secundo. Debet ea obſeruatio oriri ex vero deſiderio totius perfectionis, cum enim regulæ noſtræ nihil aliud ſint quàm ſummi apices perfectionis ſingularum virtutum, niſi ardens hoc deſiderium totius perfectionis menti inſideat, non facile erit ad tam frequentes & arduos virtutum actus aſſurgere. Inde eſt quod in diſciplina obſeruanda languor, certum ſit argumentum interni languoris circa ſtudium perficiendi;& ſi in homine Societatis vllus exiſtat feruor hîc præcipuè ſe exercet. Societatis enim ſpiritus in

in eo potiſſimum conſiſtit , vt regulas noſtras in ſe mortuas animet in nobis, & viuificet, & totam inſtituti formam obſcuram latentémque in chartis, omnium oculis exhibeat; ſi igitur ſpiritu illo viuimus,ſpiritu etiam ambulemus imo curramus viam hanc mandatorum Dei.

Tertiò. Debet obſeruatio regularum dirigi ad eum finem propter quem regulæ ſunt datæ. Finis ille eſt,vt ſint nobis externum veluti exemplar,Chriſti Domini vitam actionéſque repræſentans, vt facilius in nos transferamus excellentem illam perfectionis formam quam ipſe nobis propoſuit. Quare cum venit nobis in mentem regula aliqua, vel offertur occaſio alicuius obſeruandæ, non ſatis eſt eam quoquo modo obſeruare, ſed meminiſſe ſtatim debemus Chriſti Domini prototypi exemplaris, & cogitare nobiſcum quomodo hanc illámue actionem quæ hac regula commendatur obibat, verbi gratia cum commendatur obedientia, paupertas, humilitas, ſilentium, patientia, mortificatio ſenſuum, & alia id genus. Regulæ enim omnes,exceptis illis quæ peccatum ſupponunt, eò poſſunt dirigi, vt in earum obſeruatione Chriſto Domino nos conformemus: ſeruemus ſilentium, vt Chriſtus ſeruabat cum interna animi recollectione; oremus vt orabat; obeamus officia humilitatis & mortificationis vt ipſe obibat; patienter aduerſa quæcumque vndecumque promanent, feramus vt ipſe ferebat; comedamus vt ipſe comedebat, animi etiam relaxationi vacemus vt ipſe vacabat,& ita de cæteris. Eſt mirum in modum efficax & ſuauis hæc praxis in regularum obſeruatione, vt experientia diſcet qui in

ea ſeriò ſe exercebit. Sic enim paulatim formatur in nobis Chriſtus, & ſic efficimur paulatim Chriſti ſocij & fratres, Deo Patri idcirco gratiſſimi, & in quibus propter dilectum Filium ſuum ſibi complacet, & per quos beneficium illud ſuum æternum de homine redimendo, quod totum in Filio conſtituit, libentiſſimè exequitur, vt per Filij ſui membra & fratres ſimillimos.

Quartò. Debet hæc obſeruatio eſſe integra. Hæc autem integritas duplex eſt. Primò quidem ex parte noſtra, vt nimirum vires omnes in id conferamus ſiue internas, ſiue externas. Obſeruatio enim regularum actus eſt obedientiæ cuius vi ad eas obligamur. Obedientia autem vt perfecta ſit, debet eſſe cũ vera intellectus voluntatiſque reſignatione, promptitudine, alacritate, diligentia, fortitudine & perſeuerantia. Cauendũ proinde ne ad oculum ſeruiamus & exteriori tantùm obſeruantia ſimus cõtenti. Secundò debent omninò omnes obſeruari nulla prorſus excepta. Nam omnes habẽt eundem authorem Deum, omnes ex eius ſapientia ſunt deriuatæ, omnes ex amore in nos conceſſæ. Nec enim quia paruæ videntur nonnullæ, ideò quaſi temerè atque inconſideratè ab æterna ſapientia artifice inſtituti noſtri inſertæ ſunt aliis, ſed omnes ex certa ſcientia & in bonum noſtrum ad vitæ noſtræ formam integrandam inſpiratæ ſunt. Quare ſi vel vna minima non obſeruatur; ex ea parte minus integra erit perfectio, eritque inſtar corporis mutili, cui pes aut manus vel quid ſimile deſit.

PARAGRAPHVS V.

Qualis esse debeat earumdem consideratio.

VT ita obseruari possint regulæ, non tantùm sunt bene intelligendæ,& in memoria habendæ vt promptè occurrant,sed etiam perspectũ esse debet quomodo ad praxim applicari debent:quare sæpè diligentérque sunt considerandæ.Hæc consideratio quatuor puncta complectitur.

Primò.Attentè consideratéque legenda est regula,deinde remoto libro comprehendendus est breuiter animo sensus , & tota ea perfectio quam continet, est memoriæ imprimenda , vt deinceps promptè occurrat,& regulæ instar sit semper ad manum.Secundò.Considerandũ quomodo ea perfectio quæ ibi continetur in prototypo exemplari Christo Domino reluxerit , siue ab eo obseruata quasi fuerit,iuxta quod dictum est §.4.num.3.

Tertiò.Considerandum est quænam sit praxis & vsus talis regulæ,quod vt bene fiat,præsupponi debet regulam dicere respectum ad id quod per eam dirigi solet:per regulas verò nostras dirigi debent nostræ actiones,tum externæ tum internæ; itaque praxis & vsus nostrarum regularum est actiones illas rectificare:quare vt benè praxis cuiusque regulæ cognoscatur,applicari ea debet ad actiones omnes nostras internas & externas. Nec verò omnes regulæ sunt eiusdem rationis : nam quædam sunt generales quæ sese ad omnes extendunt vel certè multas actiones;aliæ verò particulares quæ ad vnã vel paucissimas spectant. Cum igitur considerare volumus

volumus quæ ſit praxis regulæ alicuius generalis eam veluti manu ducere debemus, vel per omnes diei actiones quas exercemus, conuerſando cum Deo, cum proximo, & quæ nos tantùm attingunt, vel per actiones internas, cogitationes ſcilicet & deſideria, vel externas verba nimirum & opera, & videre num cum has actiones obimus, meminerimus nos habere talem regulam à qua dirigi debeant; deinde accuratè diſpicere quomodo ſingulæ actiones tali regulæ, & per eam Chriſti perfectioni ſic applicatæ congruant, quomodo exorbitent, quando verò regula vnam tantùm actionem ſpectat ad eam ſolam applicari debet vnà cum prototypo exemplari, vel etiam cum relatione ad finem noſtrum. Nam cum in 2. regula dicatur, finem ſocietatis eſſe noſtram perfectionem & proximi, omnes regulæ quæ ſequuntur, ſunt veluti ad noſtrum finem. Itaque debemus illas applicare ad actiones, quatenus ſunt talia media, ac proinde conſiderare an ita perfectè hanc vel illam actionem fecerimus prout regula requirit & prout exigit Chriſti imitatio.

Quartò oportebit ſi quid diſtortum in actionibus noſtris appareat, de eo dolere, & proponere ſeriò emendationem, & ad id gratiam per Chriſti Domini merita poſtulare.

PARAGRAPHVS VI.

Eiuſdem conſiderationis praxis.

VT melius intelligatur & vtilius exerceatur hæc conſideratio, quæ certè magni eſt momenti, viſum eſt eius exempla aliqua proponere. Sit igitur conſideranda prima regula ſumm.

Primò. Eam attentè legam, poſteà ſepoſito libello, eius mihi ſenſum hunc effingam & in animo verſabo: nimirum eius ſummam eſſe quod in Societete duplex ſit regula præcipua, vna interior, lex nimirum charitatis & amoris quæ ſcripta & impreſſa eſſe debet in cordibus omnium filiorum Societatis, quaque in omnibus dirigi debent in ſancto Dei ſeruitio: altera exterior quæ ad id iuuet: hunc ſenſum conabor memoriæ imprimere.

Secundò. Conſiderabo Chriſtum Dominum habuiſſe etiam quodammodo duas ſimiles regulas. Nam habuit omnino internam legem amoris Dei, qua impellente ſola, etſi nullum habuiſſet poſitiuum præceptum agendi & patiendi pro nobis, prout fecit, tamen verè ex Dei amore, eadem vltro egiſſet, & paſſus eſſet omnia prout egit de facto & paſſus eſt. Et licet non alia regula externa egeret, ſicut nos qui ſumus infirmi; voluit tamen Deus ei dare præceptum poſitiuum, & legi antiquæ

eum

eum ſubiicere, vt obedientiam exerceret, & legis cuiuſque vtilitatem nobis commendaret.

Tertiò. Regulæ praxis, cum ſit generalis, verſatur circa omnes actiones meas; quare exquiram. An aliquando meminerim internæ illius legis, deinde diſpiciam, quomodo actiones omnes diuini ſeruitij exequar à prima diei hora ad vltimam; nimirum an cum manè ſurgendum eſt, id faciam alacriter ex lege Dei amoris, & vt ei placeam, & vt Chriſtus ipſe faceret, & an id facturus eſſem, etiamſi non eſſet in ſocietate regula de ſurgendo mane. Deinde veniam ad meditationem, & applicata amoris Dei regula, videbo an illa ſit quæ me moueat ad orandum &c. Idem erit faciendum circa ſingula ſtudia, officia, humilitatem, charitatem in proximum, & ſingulas actiones diei, etiam circa refectionem corporis, & animi relaxationem, quam ſi lex charitatis dirigat, certè non poterit non rectè fieri.

Quartò. Si videam me ex conſuetudine, vel affectu alieno, vel metu quodam ſeruili, ne ob violatam externam regulam, accipiam pœnitentiam, applicari ad ea quæ ſunt diuini obſequij, non autem ex amoris & charitatis interna lege, veniam petam & poſtulabo per vniuerſum Chriſti amorem, vt eam legem imprimat altius cordi meo, vt ſola illa me dirigat, ſola illa mihi ſit lex.

Sic consideranda 4. Regula summarij.

Primò, huius mihi sensum efformabo. Societatem nostram non habere certam & determinatam rationem viuendi, qua veluti constringatur, & intra cuius limites concludatur, sed communem; non vt remissiùs viuat, sed potiùs vt sit capacior omnis perfectionis & omnis generis mortificationum & pœnitentiarum; prout ad maiorem spiritus profectum conueniet: ad quem finem & quisque quasuis suscipere cum venia, & ipsi superiores imponere sine restrictione vlla possunt, cum in multis religionibus ordinarias pœnitentias habentibus, id non si fas.

Secundò. Christi Domini vita etiam fuit communis, vt omnibus perfectionis omnis esset exemplar.

Tertiò. Ad praxim applicabo hanc regulam: videbo imprimis num in communi hac vita, sicut fecit Christus, maius Dei obsequium intuear. Nam quod ad me attinet, debeo toto affectu abhorrere ab iis omnibus quæ commoda sunt carni, quatenus sunt talia, sed tantùm iis vti quatenus continent maius Dei obsequium. Itaque primum eas omnes actiones quæ communes sunt, applicata hac regula examinabo, verbi gratia, victum, vestitum, somnum, animi relaxationem, modum conseruandi, studia &c. considerans quo affectu ad illa ferar, diuini obsequij, an aliquo alio. Deinde considerabo quibus pœnitentiis vti soleam, aut etiam possem, & debe-

rem

rem pro capacitate vitæ huius communis, ad maiorem in ſpiritu profectum; denique num imponantur à ſuperioribus aliquando, & quo eas animo & alacritate recipiam.

Quartò. Statuam me emendare, & in exteriori hac communi vita non communiter nitar viuere, ſed animo & deſiderio complecti crucem Chriſti, & omne genus mortificationum, quæ deſideria (licet vtar vita communi ad maius Dei obſequium) cum potero tamen efficacia reddam, aſſumendo quotquot potero mortificationes pro occaſione.

Sic conſideranda 6. Regula.

Primò. Vtantur quotidie omnes conſcientiæ ſuæ examinatione conſueta, nimirum per quinque puncta.

Secundo. Finis huius examinis eſt Dei bonitatis erga nos cognitio, & noſtri & animæ puritas, quæ in Chriſto exellentiſſima erat & continua.

Tertiò. An ita ſingula puncta percurram, vt examen ſit mihi medium efficax ad perfectionem, & Chriſti ſimilitudinem mihi imprimendam; an ita gratias agam Deo vt Chriſtus faciebat, tantíne meas imperfectiones faciam, & ita eàs deteſter, vt Chriſtus illas ipſas æſtimabat & deteſtabatur.

Quartò. Propoſitum emendationis.

Regula nona.

Primò. Meipſum nihili facere debeo, & in-

dignum iudicare qui vel æſtimer vel amer, quin potiùs dignum odio & contemptu ob mea peccata & defectus quos in me cognoſco: ita gratum mihi eſſe debet, vt ob illos defectus quiſque me contemnat (quia cum mihi inſint, reddunt me vilem apud eos quibus apparent) & eos Superiori referat. Nec debet hoc meam quietem perturbare, imo debet id mihi eſſe gratum.

Secundò. Pro praxi huius regulæ luſtrabo defectus meos præcipuè inſignes, quóſque maximè vellem occultos, & conſiderabo de ſingulis in hunc modum. Hic in me defectus vere ineſt, & patet oculis Dei & fortè hominum quam ergo putas de me opinionem propter illum concipere poſſunt? certe talem. Quid ſi ad Superiorem referrent, turbarerne? quomodo non confundor coram Deo? alienóne animo eſſem ab eo qui retuliſſet?&c. quid erit in iudicio quando omnia patebunt omnibus?

Regula vndecima.

Primò. Hæc regula eſt maximè generalis eſtque ſumma totius perfectionis.

Secundò. Summa eius eſt, ſocietatis Religioſus qui ſeriò Chriſtum ſequitur, amat & ardenter exoptat, contumelias, infamationem, & iniurias quaſuis pati debet, & abhorrere omninò, & non ex parte ab iis quæ mundus amat, ſcilícet fama, honore, magni nominis æſtimatione. Hæc regula deducenda eſt per omnes actiones diei, præſertim publicas, vel quæ ordinem ad publicas habent, vt ſunt ſtudia. Et videndum an in meditationibus meis hæc ardentia deſideria concipiam

piam Chriſti exemplo. Ita abhorream à mundanis rebus,& mundo. Item in ſtudiis quomodo me habeam:quomodo in conuerſatione vel cum honor defertur,vel contrà contemptus timeri poteſt;Anne ſoleam potius fugere toto conatu confuſionem,& ardenter optare honorem, plenus potius ſpiritu mundano quàm Chriſti?quantum ergo abſum à forma perfectionis vitæ Chriſti.

Regula duodecima.

Chriſtus Dominus tota vita ſua crucem portauit,& inuitat nos vt abnegemus nos,& crucē ſemper etiam portemus. Fieri id poteſt.

Primò. Verè & de facto in multis diei actionibus noſtræ libertati relictis, verbi gratia cum poſſem cum venia diutiùs dormire, vel aliquam recreationem non ita neceſſariam admittere, vel quid ſimile, ſi nolim petere veniam, & cum Chriſto feram crucem. Item cum poſſem dicere aliquid vnde alij meliorem de me opinionem conciperent,poſſum etiam ſine graui nota tacere, cum poſſum ſine noxa vltimum locum in omnibus occupare, cum poſſum me excuſare dum reprehendor, admoneor, rideor, poſſum etiam ſine alio incommodo id non facere, & ſimilia multa, certè nunc debeo me potius abnegare Chriſti exemplo.

Secundò. Quando non eſt mihi liberum aliquam mortificationem ſubire,vt quando non licet ieiunare &c.quando non datur occaſio alicuius contemptus, ego ipſe me in animo meo contemnam, & agnoſcam indignum non tantùm honore ſi quis habeatur, ſed etiam cibo & potu qui datur

tur etiam viliſſimo. Itaque me ſæpe etiam circa omnia abnegans,dicam Domino de ſingulis eius donis. Exi à me Domine,& hæc tua dona aufer à me,quia homo peccator ego ſum,& indignus omni bono tuo.

Tertiò. Denique ſi quando in anima affligar vel iniuriis, contumeliíſque appetar, vel malis corporis exercear,cauebo à ſollicitudine vitandi infamiam &c.imò agnoſcam me his omnibus malis dignum & grauioribus etiam,amabo eos pro quibus affligar,pro eiſque orabo,&c.

CAPVT XXIV.

Præparatio ad facienda exercitia.

PRimò conſidera. Quis ſit finis quem in exercitiis iſtis intendere debes, is nimirum quem B. P. N. indicat annotatione prima, id eſt diſponere, & præparare animam ad affectiones omnes ſiue actuales, ſiue habituales inordinatas antiquas, aut de nouo natas tollendas penitùs, & ſublatis illis ad quærendam, & inueniendam Dei voluntatem circa vitæ ſuæ ſtatum, ſalutem, perfectionémque. Itaque pone ante oculos internam animæ tuæ ruinam & ſterilitatem, & cogita te audire quod Hierem. cap. 1. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices & plantes, nimirum vt vitiorum & imperfectionum diruto diſſipatóque ædificio & regno deſtructo, & euulſis radicibus, in anima cæleſte &

diuinum

diuinum ſemen recipias, turris Euangelicæ ædifices celſitatem, denique regnum ſtabilias: hoc tibi à Deo conceſſum eſt vltimum fortè tempus; & vltimus dies deſtruendi & ædificandi, euellendi & plantandi; hodie igitur ſi vocem eius audieris, accinge te vt ædificium animæ tuæ æternum ſtatuas.

Secundò conſidera, Hoc eſſe proprium opus infiniti illius artificis, & agricolæ, qui ait ædificabo eos, & non deſtruam; & plantabo eos, & non euellam, & dabo eis cor, vt ſciant me quia ego ſum Deus, & erunt mihi in populum, ego eis in Deum. Huic tamen infinitæ potentiæ debes cooperari ad quod neceſſe eſt, vt animo prorſus liberali te in manus eius reponas, totumque ei committas, vt pro ſua voluntate deſtruat, ædificet, euellat, & plantet, teque fingat refingatque vt figulus lutum: quare cum B. Paulo dicendum: Domine quid me vis facere?

Tertiò conſidera. Tibi ſuper ineſſe vtendum aptis mediis ad illum finem: hæc autem media ſunt exercitia ſpiritualia, quæ nihil aliud ſunt, quam certa quædam methodus examinandi conſcientiam, orandi mentaliter, legendi libros ſpirituales, & conſiderandi ea quæ cuique propria ſunt, quæ quam efficacia ſunt, docuit experientia in ipſo B. P. N. Ignatio, & primis patribus, tot aliis præclaris doctiſque & ſanctis viris, qui cum ingenti ſuo fructu in iis verſati ſunt; id tamen fortè aliquando expertus es, nec debes dubitare, quin vnde tam multi tanta lumina & gratias hauſerunt ad ſuam perfectionem, ex eodem tu quoque fonte repoſita multa dona ſis percepturus à Deo, quoniam forte hac via

per

per hæc inſtrumenta in alium virum te mutabit; vt fecit alios.

Quartò conſidera, Opus eſſe vt ea inſtrumenta integrè, diligentérque & ſeriò adhibeas, alioquin parum, vel nihil proderunt. Quare nihil omnino reputandum eſt parui eſſe momenti, cum ſine iis quæ parua videri poſſent, nec bene ſtare poſſint alia, nec conſtare queat exercitiorum integritas & vis. Quidquid ergo ſuis temporibus agendum erit, illud age ſeriò, in eo totus eſto, & tibi certò perſuade theſaurum eſſe maximum quem effundis, magnum negotium quod agis.

Quintò cogita, Opus eſſe tibi generoſo animo, nec enim ſine vi aliqua & difficultate ad ima vſque vitæ veteris fundamenta, eruenda & perdenda, diſſipandáque ea, quæ in te conſtruxit Dæmon, Mundus, & Caro. Arx & Munitio, vt prorſus nihil remaneat, ea tibi quatienda eſt magnis motibus, & crebris, imo continuis vtriuſque potentiæ intellectus & voluntatis ictibus: Deinde non ſine tædio & labore in intimos animæ receſſus penetrandum, & in profundas abyſſos deſcendendum ſæpe tibi erit: eruenda quæ ibi demerſa latent pondera & rudera vitiorum, & procul magno conatu proiicienda, ſanctiſque deſideriis & firmis ac ſolidis propoſitis è cœlo aduectis fundanda ſedes Deo digna: verum ſi generoſè feruentérque aggreſſus fueris, corruet munus Hierico facilè, fiétque quod Dominus promittit de reædificatione Sanctæ Ciuitatis Hieruſalem. In die illa ponam duces Iuda ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut facem ignis in fœno, & deuorabunt ad dexteram, & ſiniſtram omnes

omnes populos in circuitu, & habitabitur Hieruſalem rurſus in loco ſuo. Zach. 12. Pete à Domino tibi ignem illum communicari.

Sextò conſidera. Opus etiam eſſe magna animi quiete; ad hæc enim efficienda excludi debent creata omnia ſiue foris; ſiue ex animo, claudendi ſenſus omnes, & ex intellectu, & voluntate arceri cætera omnia debent præter vnum Deum, & in ſolitudinem internam & externam concedendum eſt: quare perſuade tibi ita cum Deo agendum eſſe his paucis diebus, quaſi tu ſolus cum eo in mundo eſſes. Ducam, inquit, eum in ſolitudinem, loquar ad cor eius; huic tu Duci ne reſiſtas, ſed cor tuum illi ſoli præpara.

CAPVT XXV.

Conſiderationes nonnullæ initio exercitiorum perpendendæ lectis 20. Annotationibus.

CONſidera primò. Finem exercitiorum ſpiritualium eſſe duplicem; diſponere animam ad tollendas omnes affectiones malè ordinatas, & iis ſublatis quærendam & inueniendam Dei voluntatem circa vitæ ſuæ inſtitutionem & ſalutem animæ: vnde hæc exercitia conſtat non eſſe purè ſpeculatiua, quaſi ſit ſatis in ſola Dei rerúmque diuinarum contemplatione quieſcere; ſed practica, atque adeò ad aliquid efficiendum ordinata.

Affectiones

Affectiones malæ sunt partim actuales, partim habituales, siue sint innatæ siue acquisitæ; ad vtrasque tollendas per exercitia spiritualia disponimur. Imprimis quidem actuales, vt quæ plurimum & saluti & voluntati Dei repugnant: atque id fit per pœnitentiæ actus, quibus anima priores actus peccatorum retractando eosdem quodammodo in se extinguit, accedente, præcipuè post diligens examen, exacta & perfecta singulorum confessione, vt ita Deo reconcilietur, & deinceps ad eius sanctissimam voluntatem sese componat, in quem finem qui nunquam fecerunt exercitia spiritualia intendere solent animum. At quibus quieta est tranquilláque conscientia, deletis pridem peccatis possunt nihilominus valde vtiliter peccatorum etiam pristinorum actus discutere, tum vt dolore perfectiori ea deleant & expediant, tum vt habitum pœnitentiæ salutarem acquirant, vt humilientur inde magis, vt contrà futuras occasiones armentur, vt ad Deum magis amandum feruentiúsque ei seruiendum incitentur; saltem nemo est qui non debeat quotidianos lapsus, & vitæ tepidioris negligentias. quæ aliquando graues esse possunt & periculosæ, deflere & corrigere: verùm non minus vtiliter qui iam sæpius in exercitiis versati sunt immediatè & directè in habituales affectiones intendunt oculos, quamuis indirectè actus etiam suos discutiant, quatenus duntaxat sunt signa internarum radicum vel effectus. Huiusmodi affectiones cum partim sint innatæ, partim acquisitæ, nemo hominum est qui multas in se non reperiat, quas omnes tolli oportet. Ferax est terra animæ nostræ plurimarum malarum herbarum,

quæ

quæ licet lateant aliquando, externa aliqua causa repressæ, semper tamen suo tempore apparent & virescunt. Sicut enim terra non in vno tempore omnes malas herbas & bonas profert, sed habent singulæ tempora sua; ita & mens nostra, aliis in iuuentute, aliis in adolescentia, aliis in virili ætate, aliis etiam in senectute morbis tentatur, alias experitur infirmitates quando subest, alias quando regit, alias cum studet, alias cum docet & concionatur, aut quoddam aliud munus gerit; mutant enim occasiones etiam internum mentis nostræ statum, & vel affectiones malas dormientes excitant, vel suscitant nouas. Quamobrem valde vtile est quotannis in se descendere, & per hæc exercitia, vel antiquas euellere radices, vel exorientes nouas extinguere.

Dicitur verò præparari & disponi anima ad eas tollendas, quia in exercitiis clariùs distinctiúsque cognoscit, & remedia inuenit, proponítque deinceps eas expugnare. Nec enim euelli penitus queunt in exercitiis, sed intellectus & voluntas muniuntur, vt occurrentibus postea occasionibus per actus ipsos frequentes & exercitia virtutum prauæ inclinationes omnino tollantur, vincantúrque.

Hæ affectiones mirum in modum obnubilant mentem, vt difficillimè possit Dei voluntatem intueri. Quare iis iam sublatis ea quærenda est sedulò in exercitiis, & quidem in genere nemo nescit Dei voluntatem esse, vt quam perfectissimè viuat secundum statũ in quo est; duo tamen vt plurimum obscura restant.

Imprimis quæ sit illa perfectio ad quam vult Deus

Deus nos peruenire. Etſi enim aliquam perfectionis ideam ſibi quiſque fingat, non tamen omnes in quo ſit ſolida & vera perfectio,intelligunt,quo ſit,vt in principio omnium primo,in fine nimirũ, errantes,non mirum ſit,ſi non adeò bene ordinatéque cunctam vitæ rationem componant. Hæc verò perfectio quænam ſit exercitia ſpiritualia tradunt.

Secundò: etſi alicui fortè nota ſit perfectionis natura, non omnes tamen intelligunt in quonam gradu conſiſtat, cum enim non poſita ſit in indiuiſibili, ſed magnam latitudinem intra triplicem viam habeat, non ſtatim tota acquiri poteſt, ſed ſenſim ídque ordinatè:nam Deus omnis perfectionis amans ordinatiſſimè ſolet procedere;quem ordinem debet aliquo modo prouidere, vt ſciat quovſque progreſſus ſit vbi ponere pedem debeat,quæ imperfectio magis vrgeat,quæ virtus inſtet potius acquirenda; vt ſi confusè omnem perfectionem amplectatur, vel fruſtra multis annis, vel parum vtiliter laborat:ſicut igitur totam ſibi perfectionem doctrinæ proponit adoleſcens,qui ad ſtudia primum accedit;tamen in ſingulos annos examinatur, vt eam ordinatè acquirat; ita in ſe deſcendere debet frequenter quiſque perfectionis ſtudioſus,& Dei examini ſe ſiſtere,vt quæ ſit eius voluntas circa vitam inpoſterum inſtituendam clarius intelligat.

Conſidera ſecundò. Ad illum finem media proponit B.P. N.quatuor. Orationem ſeu meditationem,examina,lectionem ſpiritualem, & directionem;cuius rei ſunt duæ cauſæ.

Primò enim plura ſunt veluti exemplaria quorum diligenti & accurata inſpectione diuina in

nobis perfectionis effingi debet. Inter quæ primarium eſt Deus & Chriſtus, quem imitando conſideramus, & in eandem nos imaginem frequenti imitatione transformamus. Alterum eſt noſtra conſcientia, & interior animæ noſtræ facies, quam niſi perſpectam habeamus, in ea nihil perfectioris formæ inducere poſſimus. Huic rei ſeruiunt examina; accedunt ad hoc hauſtæ à Deo præceptiones à viris ſanctis ſcripto nobis traditæ, in quibus tum Deum ipſum, tum nos contemplari legendo poſſimus. Denique qui nos dirigit, ſuis inſtructionibus, nobis viua voce delineat perfectionis ideam ad quam conari debemus.

Secundò. In eo fine aſſequendo quatuor cauſæ concurrunt. Imprimis Deus quem orando & meditando nobis & operi tanto applicamus. Deinde nos ipſi cum intra nos per examen deſcendimus. Accedunt ſancti, qui nos ſcripto inſtruunt, ipſe imprimis B. P. Ignatius, qui præſens adeſt, cuius exercitia manu, oculis, & animo vſurpamus, in quibus ſuum ipſe ſpiritum nobis viuum & ardentem expreſſum reliquit. Denique qui noſtri Superioris vicem gerit.

Conſi. Tertiò. Horum mediorum efficacia cum maxima ſemper ſit, tamen in exercitiis quanta ſit colligi poteſt.

Primò. Ex admirabili prorſus ordine, & nexu quem omnia inter ſe habent, adeo vt ab ipſo ducta fundamento ordinato veluti agmine neceſſario quodam modo finem inferant, quem ordinem ideo Paulus III. in Bulla approbationis libelli vocat aptiſſimum ad mouendos fidelium animos.

Secundò, Ex ipſomet authore B. Patre, in quo hæc ipſa Deo dirigente tantum Manreſæ exercitia potuerunt, & illum adeo aptum Dei inſtrumentum redderent: his enim ipſis à Deo ipſe excultus fuit, & poſtea diuino quodam lumine illuſtratus, illiteratus adhuc, eodem ordine quo acceperat, & propriis experimentis didicerat, vt ait Pontifex, deſcripta in ſuum vſum & aliorum ad Dei gloriam repoſuit.

Tertiò, Ex admirabili perfectione ad quam deinde per ea ipſa progreſſus eſt ipſe, nam quibus inſtrumentis perfectionis Euangelicæ fundamentum ſolidum poſuerat, iiſdem vltimam manum impoſuit.

Quarto, Ex ipſo Societatis inſtituto, cuius idea quædam in exercitiis delineata quodammodo apparet, vel quod potius in exercitiis non ſecus ac fructus in ſemine lateat. Mirum ſanè Beatum Xauerium inſtituto Societatis nondum compoſito, ſolis inſtructum ſpiritualibus exercitiis paria in India de inſtituto ſenſiſſe, eodem modo & ſpiritu ſocietatem gubernaſſe; quo B. Ignatius eius author fundatorque Romæ, id quod etiam in primis patribus notatum eſt, quos interni lex ſpiritus ab exercitiis hauſti, antequam regulæ conſcriberentur, mirabili conſenſione dirigebat.

Quinto, Hoc inſtrumento ſicut B. Ignatius hoc inſtrumentum condidit, ita & ſocietati parauit operarios, ſic B. Xauerius Societati aptatus, ſic P. Faber, quem inter eos qui in Europa remanſerunt, diligentiſſimè excoluerat B. P. ſic alii deinceps, vt omittam alios innumeros extra Societatem ſiue religioſos, ſiue ſæculares, qui &

ſuam

ſuam ipſorum, & aliorum reformationem hinc hauſerunt, adeò vt verè dici queat libellum hunc, vel potius ſpiritum B. Patris in eō quodammodo viuentem, fuiſſe ſingulare Dei inſtrumentum ad Eccleſiæ reuocationem. Quare non mirum ſi illum B. Ignatius tanti fecerit, & non ſecus atque Dei opus, cum in dubium vocatus eſt, ſemper defenderit, grauiſſimíſque verbis in ipſis conſtitutionibus eius vſum & affectum noſtris commandauerit, & familiarem eſſe omnino decreuerit: didicerat enim in ſe & aliis B. P. quanta vis horum ſpiritualium armorum eſſet; vt ipſe appellabat, ſi benè tractarentur, quanta eius medicinæ efficacia, ſi rectè adhiberetur ad quoſuis morbos, quantumuis inueteratos & pertinaces, quos nec conciones, nec alia ordinaria remedia curare poſſent; extirpandos. Certè de nobis id nobis perſuadeamus neceſſe eſt, fore vt nunquam veri ſocietatis filij ſimus; & ſincerum eius ſpiritum habeamus, niſi hinc hauriamus. Qui bene & ſeriò faciunt exercitia, fit in eis fons aquæ perenniter toto anno tum in Deum ſurſum ſalientis, tum in proximos manantis, quod experti ſunt primi patres, & omnes alij viri ſancti Societatis.

Conſidera quartò. Ad hoc efficiendum requiritur diſpoſitio, quæ in eo conſiſtit, vt cum intellectus tum voluntas expedita ſit ad has ſpirituales actiones, & quod ad intellectum attinet, cuius eſt proprium diſcurrere & ratiocinari, non vllus eſt qui non pro modulo ſuo poſſit de rebus ſuis cogitare; quare neceſſe eſt ad voluntatem excitandam, cuius potiores ſunt hic partes, quamuis iuuari debeat lectione, directione, & ipſo

præſertim cæleſtis luminis influxu, quod nunquam deeſt cum voluntas rectè diſpoſita eſt.

Requirit porro ad hanc diſpoſitionem voluntatis B. P. N. Primò,animum generoſum, & magnum ob difficultates quæ aliquando ſunt ſuperandæ, ſiue ex natura ſeceſſus & orationis, quam interturbare ſæpè ſolet ariditas mentis, tædium, vanæ ſollicitudines, & curæ rerum futurarum & negotiorum, paſſionum & affectionum vis, conſcientiæ anxietates, ſiue ex improbitate dæmonis, qui ſicut vniuerſas diei tentationes eò ſolet dirigere, vt orationem noſtram matutinam quotidie turbet,ita vniuerſa ſua molimina toto anno circa nos adhibita tẽpore exercitiorum reuocat,& renouat,vt hoc tempus nobis ſine fructu effluat.

Secundò,fidelem qui ſincerè & coram Deo, & cum directore agat,& à propoſito exercitiorum fine,non ſinat ſe vllo naturalis affectus fauore abduci.

Tertiò liberalem erga Deum, non gloriam eius tantum quærendo,ſed maiorem gloriam,& totum illi ſe offerendo in eius obſequiũ ſine vlla reſtrictione, aut dilatione & mora:qui enim ſe Deo citò dat, cum Deus petit,bis dat.

Quartò,confidentem Deo, qui ſuam creaturam ad ſe venientem amplectitur. Itaque ſeſe proiiciat in ſinum paternæ eius prouidentiæ.

Quintò,ſollicitum,ne qua in re obſtet diuino beneplacito, aut gratiæ eius deſit, & idcirco obſeruantem accuratè ea quæ ſingulis horis præſcripta ſunt, & annotationes ipſas imprimis additionéſque exercitiorum, quibus ille ſpiritus ſua veluti lumina & dona in nos veluti canalibus

libus deriuat. Quis ſcit an non vltima mihi futura ſint exercitia, quis ſcit an iis in exercitiis Deus ſit mihi communicaturus quod non fecit hactenus, & quod totam in vitam mihi erit, & ſalutis, & perfectionis cauſa.

Sextò, ſolitarium, non corpore tantum, ſed animo præcipuè, vt non tantùm à communi aliorum conuerſatione, & liberiori ſenſuum linguæque vſu abſtineamus exteriùs, ſed id faciamus vero mortificationis ſpiritu, libenter abdicantes externa omnia, vt Deo fruamur, imo internas rerum omnium aliarum imagines, cogitationes, affectúſque, quæ cor noſtrum pulſare, mouere, & turbare poſſent, deponamus. Nec vllum etiam internum colloquium cum vlla creatura admittamus; vt tota noſtra conuerſatio ſit cum Deo, perinde ac ſi ſoli cum eo ſolo in mundo eſſemus. Proderit certe hæc interna recollectio, & ſenſuum mortificatio, non tantùm tempore exrecitiorum, ſed vt etiam poſtea ei aſſueſcamus, eamque tota vita ſeruemus. Nam de eorum numero ſumus, quibus Apoſtolus ait, Couerſatio noſtra in cœlis eſt.

Ad fundamentum exercitiorum.

NOtandum Primò, Finem huius conſiderationis primarium non eſſe dolorem excitare quod à fine noſtro aberrauerimus, ſed partim tota intellectus attentione clarè & intimè penetrare, quis ille ſit finis propter quem ſumus id quod ſumus, partim vbi bene eum apprehenderimus

rimus voluntatem ad efficacem eius intentionem efficaciter permouere : id autem vtrumque cum facimus, fieri nequit quin alii affectus admirationis, gratiarum actionis, confusionis, exsurgant; quibus non tam inhærendum est, quam eorum ope voluntas adiuuanda, vt sese firma, & inuiolabili intentione fini illi suo astringat.

Notandum secundò. Hanc considerationem vocari à B. P. Nostro, principium siue fundamentum : finis enim cognitio & intentio in rebus moralibus, atque adeo in vitæ reformatione est principium practicum, ex quo (non secus atque in speculatiuis, ex principiis scientia deducitur) tota actionum nostrarum praxis dimanat; Quare quo ea cognitio & intentio perfectior est, eo perfectior sequitur praxis, atque eadem ratione vocatur fundamentum, quâ totius ædificij spiritualis molem sustentat. Quare in hoc fundamento exercitia omnia primæ, secundæ, tertiæ, & quartæ hebdomadæ nituntur, & ex hoc principio omnis voluntatis praxis & affectus qui tam in prima, quam in cæteris septimanis quæruntur, profluunt. Nam dolor & pœnitentia de præteritæ vitæ peccatis, ab eo præcipuè principio vim omnem accipit, & futuræ vitæ ratio ex eius principii per Christi Domini vitam illustrati & applicati, regula dependet.

Notandum tertiò. Huic considerationi nullum definitum tempus assignari à B. P. N. tum quia diuersa est hominum dispositio (nec enim omnes æquè facilè hoc principium quantum satis est, vti practicum esse queat, apprehendunt penetrantque, id quod in cæteris etiam scientiis vsu venit) tum quia propter eius momentum in

vita

vita ſpirituali hoc primo exercitiorum ingreſſu non curſim ac leuiter percurrendum, ſed intimè penetrandum eſt, ita vt in toto decurſu per ſe in memoriam redeat, & ad ſolidam praxim eliciendam influat; quare rarò ſufficit huic conſiderationi horam tribuere.

Fundamentum.

Circa primum punctum. Cogita quod cum nihil eſſes, nec eſſe quicquam ex te poſſes, Deus optimus Creator tuus, cum te in tuo nihilo relinquere poſſet, vt infinitas alias creaturas reliquit; ab æterno tamen de te cogitauit, & voluit te condere, non lapidem, non equum, ſed hominem, adeoque corpus tuum quinque ſenſibus, animam verò tribus potentiis, memoria, intellectu & voluntate inſtruere, non propter te, aut vt ſolũ viuas, vel tibi viuas, tuiſque commodis, gloriæ & honori inde ſeruias; ſicut enim non es à te, nec eſſe potes propter te, ſed propter Deum, tanquam eius mancipium, iumentum, & medium ad eum finem ordinatum, quem ſibi Deus propoſuit, nempe ad gloriam eius, quam promoues, cum illum intellectu cognoſcis, & affectu complecteris; ſiue in hac vita, ſiue in futura pro cuiuſque modo, ſicut ipſe ſeipſum cognoſcit & complectitur. Hoc fere principium vbi bene conceperis, & viuâ fide apprehenderis, illud tibi applicabis, & ſuauiter ac fortiter per diſcurſum practicum voluntatem excitabis ad hos affectus.

Primo. Admirationis, quod tanta maieſtas

dignata ſit ab æterno recordari,& oculos intendere in tam vilem creaturam.

Secundò, Actionis gratiarum, quod te elegit, relictis tot aliis quos non creauit,& tibi corpus integrum animúmque dedit, quod aliis penè innumeris non conceſſit.

Tertiò, Amoris, quòd te creauit ad tantum finem, illúmque ſupernaturalem, vt menſæ diuinitatis ſuæ participem te faceret, vt eodem quo Deus ipſe cibo, eâdem beatitudine fruaris. O Anima mea quomodo talem Deum non diligis!

Quartò, Confuſionis & doloris, quòd ita vixeris, ac ſi Deus non fuiſſet finis tuus. Ita eum oblitus es, ita parum de eo cogitaſti, ita nullo amore, nullo obſequio eum perſecutus es, ſed appetitus & mundi vanitates eius amori anteponens, ita vt vita tua omnino inanis effluxerit. O quantum dolorem de præteritâ eo modo vitâ anima concipit! O quantum cuperet, ſi daretur, eam ab initio retexere!

Quintò, Timoris, ne tua negligentia malis moribus & tepidâ voluntate fiat, vt nunquam ad hunc vltimum finem peruenias, à quo tantum abes.

Sextò, Horroris aduerſus mortale peccatum, præſertim quod omnino ne attingas illum, impedire poteſt.

Septimò, Firmæ voluntatis, quâ proponas te Deo fauente eius gratiâ penitùs ſubiicere, offerre teipſum tuáque omnia in illius obſequium dirigere, vniuerſam tuam vitam, cognitiones, deſideria, verba, & actiones ad eius vnicam gloriam: hoc perfectum animi propoſitū explora cum Pſalmiſta dicens, Nonne Deo ſubiecta erit anima mea?

Circa secundum Punctum. Recordare Deum creasse cætera omnia: vt tibi tuum in finem adiumento essent, iuuant enim te ad eius cognitionem, amorem, memoriam, cultúmque, virésque necessarias ad eius obsequium præbent, ita vt omnium creaturarum vsus qui tibi per operationes facultatum tum corporis tum animæ conceditur, eò tendat, vt Deus glorificetur. Nam ex creaturis omnibus, tam quæ in cœlo, quàm quæ in terra sunt hos tres fructus potes elicere, cognitionem Dei, amorem eius, & auxilium & vires ad perfectum ei obsequium præstandum anima & corpore ipso. Hoc vbi viua fide conceperis, excita affectus.

Primò, Actionis gratiarum, quòd liberalis Dei prouidentia omnia creârit tua causa, & licet solus esses in hoc orbe, conseruaret tamen illa omnia etiam tuâ causâ, vti ad omnium vsum conseruat.

Secundò, Contemptus omnium creaturarum, quia media sunt tantùm, vt ei seruias, dic ergo cum Psalte; Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Tertio, Doloris & confusionis propter inordinatos affectus tuos erga creaturas, quibus tanquam fini adhæsisti, quas ad te ipsum, non verò ad cognitionem, amorem, & obsequium Dei retulisti, vnde tot peccata emanârunt à tuo fine penitùs aliena.

Quartò, Propositi emendationis, petitâ gratiâ rectè iis vtendi; nunquam intellectum earum cognitione, memoriam recordatione, voluntatem amore, nullum vnquam sensum, linguam, oculos, gustum,

gustum, auditum earum vsu & delectatione occupandi, nisi quantum id ad Dei gloriam redundare potest.

Circa tertium & quartum punctum. Cogita quod licet omnia sint tibi media ad hunc finem, tibi tamen non eodem modo ad eundem finem vtilia sunt. Alia enim sunt quæ prosunt & nunquam obsunt, alia, ratione tuæ fragilitatis apertè aduersantur, & à fine te impediunt. Denique alia sunt veluti indifferentia, quorum vsus neque ordinariè nocet, neque notabiliter vtilis est ad eũ finem: vide apud te quæ tibi vtilia soleant esse, quæ item contraria, quæ porrò indifferentia, & cognita necessitate quâ vrgeris ad tuum vt finem peruenias, excita hos affectus.

Primò. Constantis propositi iis vtendi libentiùs quæ magis prosunt, tametsi ardua sint & difficilia, vt est paupertas, dolor, aliorum despectio.

Secundò. Horroris aduersus ea quæ tibi nocent vt plurimum, & deliberati animi ea reiiciendi quamuis alioquin naturæ placeant, despectis quibuscumque hominum colloquiis & difficultatibus.

Tertiò. Constantis iterum propositi; quo statuas vsurum te nunquam iis quæ tantùm damni quantum profectus afferre possunt, nisi tanquam mediis, quibus feraris in Deum. Quapropter statuendus est animus in æquilibrio, vt quoad bona hæc omnia, indifferentia maláque indifferens sit, & quidquid demum tibi accidat, te conformes Dei & superiorum voluntati, in id duntaxat intendens, vt siue paupertatem, dolorem, & contemptum patiaris, siue contra diuitiis, honore abundes in Dei gloriam cuncta referas. Hoc

est

est enim scire abundare, & scire penuriam pati.

Facto huiusmodi proposito, per vltimum colloquium offeres te Deo cum animo ex hoc momento nouam ordiendi vitam ordinatam, scilicet ad eius obsequium & gloriã (relictis omnibus inordinatis affectibus & amore omnium creaturarum) procurandam.

Pater Aue.

Ad primum exercitium de peccatis.

HEbdomadæ primæ finis est scrutari inordinatas affectiones nostras, & internam animæ nostræ faciem cognoscere, non tantum vt præteritæ vitæ malitiam, ingratitudinem, & tepiditatem intueamur, & de imperfectionibus actualibus, quibus à Deo vero fine nostro, rectóque nostri & aliarum creaturarum vsu recessimus, confundamur & veniam impetremus; sed præcipuè vt accendamur vehementer ad vitiosas nostrarum imperfectionum radices, ex quibus tot fœdi & damnabiles fructus proruperunt, inuestigandas, & accuratè radicitúsque euellendas.

Primi igitur exercitij scopus est, ante oculos ponere exempla peccati Angelorum, Adami, & aliorum priuatorum, tum, quam inordinatè nos ipsos quæramus, & cùm deberemus in Deum vt finem nostrum nos referre, inuerso ordine faciamus nos, finem nostrum, tum, ex quibus radicibus hæc inordinatio actualis quotidie oriatur in nobis, & in illis orta sit, ac proinde quanta sit necessitas

necessitas eas extirpandi, ne in eadem peccata & pœnas incidamus.

Notandum verò est B.P.N. in hoc primo exercitio tradere verum & maximè solidum modum meditandi, qui tenendus est in omnibus exercitiis non tantùm primæ hebdomadæ, sed etiam aliarum, ac proinde hic accuratè est perpendendus cuiuis exercitanti.

Pro quo sciendum est, meditationem pendere à Deo sine quo nihil possumus, & ab homine Deus per orationem præparatoriam generaliter aduocatur, & per orationem vltimi præludij applicatur ad particularem meditationis finem promouendum. Homo verò totus hîc vacare debet, vnde compositio loci imaginationem ab aliis obiectis transfert ad rem meditandam; & idcirco iuuat ad attentionem animi motionémque, qui hoc modo alligatâ phantasiâ rei illi certæ, alligatur quoque ipse quodammodo ne euagetur, aut si diuertat, habet quò se facilè colligat, & reuocet in situm illum suum in quo se ab initio composuit. Idem præstat repræsentatio historiæ cum meditatio est de Christi Domini vita: fit enim generatim tantùm, & vno velut intuitu, vt sciatur materia de quâ meditandum est, & anima incipiat in ea actuari & ad eam eleuari, vt faciliùs deinde singulas eius partes ponderet & penetret: quare vtraque est tantùm præparatio quædam & via ad meditationem, & ideo cauendum, ne iis vel minimùm immoremur, vel vim aliquam capiti faciamus; quare qui difficulter imaginantur, debent potius citè transire, quam laborando nimiùm caput obtundere, sic enim non possent deinde meditari.

Post

Poſt præparationem ſequitur meditatio in qua tres animæ potentiæ exercendæ ſunt circa ſingulas partes rei propoſitæ, & ideo antea debet ſemper diuidi in certa puncta. Hoc autem trium potentiarum exercitium ex mente B. P. N. eſt huiuſmodi vt propoſito primo puncto imprimis memoria circa illud verſetur per apprehenſionem nouam veri ſenſus, & intelligentiæ eius, qua ſeſe de nouo actuat, & penetrat quicquid diuinæ voluntatis in eo latet, expenſíſque, ſi opus ſit, ſingulis verbis: vel etiam ſi de hiſtoria aliqua ſit meditatio, perſonis, earum cogitationibus, verbis, deſideriis, & factis: nam harum rerum conſideretio ſpectat ad ſenſum capiendum, & proinde ad exercitium memoriæ, vt patet in primo puncto huius exercitij, in quo B. P. N. ad exercitium memoriæ ſpectare ait, cogitare quomodo Angeli creati primùm in ſtatu gratiæ, ſed nolentes per arbitrij libertatem Creatori ſuo reuerentiam & obſequium præſtare, conuerſi fuerint ex gratia in malitiam &c.

Ex quo etiam liquet hoc exercitium memoriæ non eſſe nudum, ſed habere adiunctum aut ſaltem conſequentem actum Fidei circa tale obiectum, præmiſſa apprehenſione veræ eius intelligentiæ diſtinctè repræſentatum, per quem Fidei actum mens Deum religiosè colit, & ei ſe ſubiicit, ac præterea veritatem propoſitam tanquam quoddam principium firmat, vt inde efficacius diſcurrat, & praxim eliciat.

Poſito deinde hoc principio, intellectus diſcurrit: hic porro diſcurſus intellectus non eſt ille actus quo de perſonis. verbis, factis, intentione cogitamus: nam is ad memoriæ exercitium pertinet

net, ſed eſt ille actus quo ex principio iam poſi-to, id eſt ex tali veritate iam concepta & appre-henſa intellectus concluſiones practicas educit; ad voluntatem deinde promouendam, hunc diſ-curſum indicat B. P. N. quandò poſita memoriæ comparatione, ait, colligendum eſſe, cum illi ob vnum crimen ſint addicti inferno, quam ſæpe ip-ſe idem ſupplicium meruerim, ex quo diſcurſu oriatur deinde praxis in voluntate, confuſio nempe, & dolor.

Atque fidei veritates in punctis meditationis propoſitæ plerumque latiſſimè patent, idcirco vix vllum punctum eſt in quo propoſito principio non poſſint deduci plurimæ concluſiones pra-cticæ ad affectus varios voluntatis promouen-dos, verbi gratia, ex primo puncto primi exerci-tij, non tantùm poſſum per diſcurſum elicere hanc concluſionem practicam, quod cum ſæpius ſim meritus infernum, debeam totus confundi, time-re, dolere: ſed præterea admirari Dei bonitatem qui me tulit, gratias agere, amare, item poſſum concipere timorem: ne cadam in eadem pecca-ta eáque grauia, cum in me ſit & liberas & amor excellentiæ, & concludere mihi eſſe extirpandum illum amorem, & per voluntatem id propo-nere.

In myſteriis porro vitæ Chriſti Domini facil-limum eſt ex veritate intellecta & viua fide ap-prehenſa educere plurimas concluſiones, perti-nentes tam ad vitam purgatiuam, quam illumi-natiuam & vnitiuam. Solet autem ordo is com-muniter obſeruari, vt ſtatim poſt exercitium me-moriæ vel actum Fidei concluſio practica educa-tur, inducens voluntatem ad actum ſpei ob De

bonitatem

bonitatem, Chriſti miſericordiam, benignitatem, meritorum vim &c. Deinde ex hoc principio educatur alia concluſio practica inclinans ad actus religionis, vt eſt actio gratiarum, oblatio ſui & reſignatio; item admiratio & ſimiles. Tertio ex eodem principio eruatur concluſio practica in eo principio. Quarto ex eodem principio poſſunt educi concluſiones practicæ de virtutibus moralibus, quibus vel Deo placere, vel Chriſtum imitari poſſumus. Exempli gratia. Si propoſitum mihi ſit punctum de Chriſti incarnatione, primum apprehendam per exercitium memoriæ verum & intimum ſenſum myſterij, conſideratis ipſis circumſtantiis, vt quid nempe ſit Deus, quid homo, & quid Deum eſſe factum hominem, & circa tale obiectum elicito actu Fidei ex eo concludam. Si hoc ita eſt quid par eſt me facere? Certè imprimis confidere de tanta bonitate, & ſperare omne bonum: Item amare & viciſſim ei aliquid rependere, præterea eam colere; gratias agere pro tanto beneficio: admirari, offerre me, Denique Chriſtum imitari in annihilatione, in reſignatione & amore proximi.

Per huiuſmodi concluſiones excitata voluntas non tantùm in affectus illos prorumpit, ſed in colloquia, ſecum, cum Sanctis, cum Chriſto, cum Deo, prout materia fert & ſuggerit affectus, vt cum eſt laudis affectus & gratiarum actionis, Deum laudat, &c. Cum ſpei affectus, dicit. In te Domine ſperaui, & aliquas rationes, cur ſperet Deo repræſentat. Cum amoris. Diligam te Domine fortitudo mea &c. Cum alicuius virtutis moralis qua eget ſciens ſine Dei ope non

non posse se eamconsequi,eam humiliter petit per Dei bonitatem, per Christi merita,per Beatissimæ Virginis & aliorum Sanctorum amorem &c. Et pro materiæ varietate hæc colloquia facit aliquando instar filij,aliquando militis,serui,sponsi,ægroti,&c.

Post meditationem examinandi sunt tum fructus qui non sunt alij quàm dicti affectus,tum defectus qui tam in præparatione,quam dicto meditandi modo commissi sunt.

Oratio præparatoria more solito.

PRimum præludium. Erit ponere ante oculos animam meam multis imperfectionibus tanquam catenis circumquaque ligatam, & impeditam,ne ad finis perfectionem contendat.

Secundum præludium. Petere à Deo gratiam vt eas imperfectiones cognoscam , & totus confundar considerans quomodo multi ob pauciores & minores è suo statu, gratiâ Dei, & salute exciderint,& ego tepidè viuens sum toties id commeritus.

Primum punctum. Erit in memoriam reuocare quomodo Angeli non à se facti , sed creati in cœlo ad vnius Dei gloriam , vt illi nimirum se subiicerent , obediendo illi & eum amando quam perfectissimè ; ad quem finem & naturam nobilissimam,& gratiæ dona acceperant , non voluerunt per arbitrij libertatem creatori suo reuerentiam obsequiúmque præstare , sed euerso ordine seipsos suum finem fecerunt,sibi gloriam

quam

quam Deo debebant, retinuerunt: vnde statim deiecti & æterna confusione damnati, eius gloriæ illustrandæ etiam nolentes seruiunt, cuius bonitati gloriam se submittendo tribuere noluerunt.

Hoc principium vbi bene intellexero, & viua fide apprehendero, mihi applicando, cogitabo primò quàm parum de fine meo cogitauerim, quàm parum fuerit ante oculos, quàm parum curæ: vnde factum est, vt vsus ipse mei à tot iam annis vanus prope & inutilis fuerit.

Secundò. Perpendã quod non tantùm eius oblitus fuerim, sed quod non semel vt Angeli, sed sæpius illo repudiato & contempto me ipsum fecerim finem actionum mearũ, variis modis, nimiâ mei æstimatione inflatus, meã passim gloriã quærens, & quis scit num aliquando cum graui peccato, saltem cum graui deordinatione? Tertiò post tot beneficia. Quartò. Quinam Angeli erant, & quis ego homuncio vilissima creatura.

Ex hoc principio & applicatione siue reflexione ad meipsum sic facta per discursum eliciam conclusiones practicas, quibus impellam meam voluntatem ad affectus similes.

Primo. Admirabor quod cum infinita Dei sanctitas & puritas infinito odio peccatum prosequatur, & adeo nobiles creaturas ob vnicum peccatum ita punierit, me tamen vilissimum homuncionem post tot peccata adhuc sustineat.

Secundo. Amore quam potero maximo, tantam bonitatem complectar.

Tertio. Dolorem & confusionem eliciam, quòd ita illum offenderim.

Quarto. Petam veniam, proponam confiteri,

& punire peccata à me commiſſa perfecta pœnitẽtia, denique ea emendare in poſterum.

Quinto. Concipiam magnum timorem, ne tandem ob meam ſuperbiam iuſto Dei iudicio permittar labi in grauia peccata, rebellionem contrà Deum, & cordis duritiem: ſicut enim ipſa actualis Angelorum auerſio ex ſuperba ſui æſtimatione ob eam excellentiam quam ad ſuam gloriam Deus contulerat, promanauit, quia eam non mortificauerunt, vt poterant. Ita cum in me vigeat & in multos actus ſeſe effundat eadem ſuperbia, quid eueniet niſi eam ſerio mortificauero.

Secundum punctum. Eodem modo verſari debet conſideratio circa peccatum parentum. Certè etiam ſerpens dixerat parentibus. Eritis ſicut dij, & eis perſuaſit vt Dei obedientiæ ſe ſubtraherent, & ad bonum corporis fructum comedendo, & excellentiam propriam excuſſo iugo præcepti diuini, vt ad proprium finem ſe conuerterent, vnde ſecuta eſt ingens illa deordinatio in tota natura humana.

Erit facienda ſimiliter applicatio. Nam quoties ego Dei gloriæ præcepto aut conſilio ex vna parte mihi propoſito, ex altera verò bono aliquo corporis aut honore gloriam eius poſthabui. Ex vtraque hac conſideratione elicita concluſione practica voluntatem incitabo in hos affectus.

Primo. Admirabor & timebo puriſſimam Dei iuſtitiam, quæ ita puniuit & adhuc punit, imo in æternum puniet vnicum peccatum parui alioqui momenti, ſi obiectum conſideres. Quid enim eſt ſceleris in comedendo pomo? Sed aliunde

magni

magni momenti si superbiam & inobedientiam attendas. Quis autẽ scire potest? num tot peccata, quæ quotidie in religionis paradiso à te admittuntur, quæ minima apparent, grauia tamen & seuera aliqua punitione digna sint? quæ forsan pòst aliquando subsequetur.

Secundo. Admirabor Dei bonitatem quæ me hactenus sustinuit, postque tot peccata hoc longè maiora admissa.

Tertio. Agam gratias tantæ misericordiæ, & excitabo quam magnum potero amorem erga benignissimum saluatorem. Quis enim princeps tandiu tam indignum & proteruum seruum pateretur?

Quarto. Postulabo cum dolore veniam, & promittam præteritam vitam confessione sacra eluere, & diuinæ iustitiæ perfecto mei ipsius odio satisfacere, quodque æternis suppliciis deberem eluere, veræ pœnitentiæ operibus, & melioribus moribus tota vita me castigare.

Quintò. Proponam seriò mortificationem amoris mei, commoditatum, sensualitatis & excellentiæ propriæ ad quam procliuem me esse cognosco, ne ex eis radicibus adeò tetris in superbam inobedientiam impellar, quæ deinde non tantùm statum meum interiorem dissipet, & me cælesti lumine, gratia, protectione, & gubernatione priuet: sed grauem etiam in ipsam religionem, perturbationem, & rerum omnium confusionem inducat, vt contingere solet, & reipsa Adamo euenit.

Tertium punctum. Quot in Ecclesia & religionibus sanctis fuerunt, quos forte noui, qui licet à Deo magnis ornati donis, & initio magnos

in virtute progressus fecisse viderentur, tamen ob tepiditatem, & remissionem animi, & assiduitatem peccatorum, initio quidem non magni momenti ex radicibus quibusdam quas euellere poterant, pullulantium, tandem ita corrupti fuerunt, vt inutiles omnino euaderent, adhibitis frustra remediis, quia animæ vitiosos habitus qui initio frangi poterant, eorum vel negligentia, vel desidia corroboratos, cum vicino periculo vellent superare, non potuerunt. Atque hæc negligentia esse solet vt plurimum circa intentionem seriam finis, quam solet impedire vanitas & ambitio, cæteræque similes pestes. Hoc vbi bene apprehendero, applicabo ad me ipsum & eliciam hos affectus.

Primò. Admirabor ex vna parte Dei Iudicia & illorum ruinam. Ex altera verò parte eiusdem bonitatem erga me, & gratias agam: quod cum iis imperfectior & negligentior fuerim in vsu gratiarum quas mihi communicauit, in domandis affectibus & vitandis peccatis multis, me tamen incolumẽ hactenus seruauit, neque abstulit à me misericordiã suam, nec mediis, quibus abusus sum, me priuauit.

Secundò. Concipiam dolorem & confusionem intimã, quod me ita imperfectum videam ante oculos infinitæ illius maiestatis, & proponam seriò emendationem.

Tertiò. Timebo ne si negligentior fuero in euellendis prauis inclinationum radicibus, quæ me in tot peccata impulerunt, ea crescant, & vires acquirant, quibus tandem resistere non possim, deserente me præsertim Deo, atque ita fiat, vt in longè maiorem ruinam præcipiter quàm ij

omnes:

omnes. Aggrediar ergo totis viribus eas omnes ad extremas vſque fibras prorſus euellere.

Colloquium vltimum ad Chriſtum in cruce, à quo petam vt ſanguine ſuo promeritam veniam meorum peccatorum & diuinæ ſuæ gratiæ abundantia largiatur, quâ interius illuſtratus, actionum mearum prauitatem corrigam, radicéſque vitiorũ crucifigam, & ſanguinis eius vi mortificem, eiuſque exemplo vitam meam totam ad Deum dirigam, & omnia mea meque ipsũ eius gloriæ poſtponens, integrum me perfectúmque Deo ſacrificium perpetuò offeram.

Pater Aue.

De Exercitiorum ſpiritualium fine.

FInis exercitiorũ ſpiritualium quæ in Societate fiunt, eſt vitæ noſtræ religioſæque conuerſationis reformatio, vt dicitur in directorio exercitiorum, cap. 10. §. 6. & ſequentibus.

Reformatio autem vitæ præcedentis eſt vitæ morum, conuerſationis, omnium denique quæ ad hominem talem ſpectant, in præſtantiorem formam commutatio: forma vitæ morúmque ea ſola bona eſt, quæ eſt conformis voluntati diuinæ, quæ eſt exemplar omnis perfectionis: voluntas autem Dei quantum ad præſens negotium attinet, alia eſt præcipiens, alia conſulens; vnde fit vt forma ſiue reformatio vitæ alia ſit præcepti, alia conſilij: præcepti eſt, quâ formam vitæ peccatis grauioribus fœdatam ſecundum legem man-

datorum Dei, obligationémque cuiusque restauremus. Consilij autem est, quando etsi nihil grauius conscientiam nostram vrgeat, diuino tamen igne succensus animus, paruulas etiam imperfectiones in se superinducta perfectioris vitæ forma persequitur & abolet, ad anteriora se extendit, & qui iustus est, iustificari adhuc magis nititur.

Licet vitæ nostræ exemplar & forma primaria sit Dei voluntas, quia tamen illa cuiuis non ita exposita est, ideo pro iis præcipuè quæ consilij sunt, aliud Deus ipse exemplar visibile, & formã perfectioris vitæ sensibus perceptibilem nobis proposuit; nimirum Christum Dominum: cuius infinita & nunquam ad extremum imitabilis est perfectio: vnde nemo est tantæ perfectionis qui non adhuc reformatione vitæ opus habeat, vt vtiliter in illius inuestigatione laborare debeat.

Triplex igitur est vitæ reformatio. Prima est necessaria omnino ad salutem, cum quis in statu suo damnabiliter & periculosè viuit.

Secunda est extremè contraria, nimirum perfectorum, qui cum nec habeant grauia peccata, nec imperfectiones magnas quas tollant in sui reformatione, præcipuè intendunt aliquid addere maioris perfectionis, & magis ac magis Christo sese conformare.

Tertia media, quando nimirum vita non est omnino damnabilis, nec etiam satis perfecta; Sed multis & magnis imperfectionibus est plena, adeò vt periculosè viuatur, & interdum grauia peccata de quibus potest dubitari an mortalia sint committantur, vt detractionis, murmura-

tionis

tionis, &c. Ad quæ non tam ratio ſtatus qui eſt perfectionis ſtatus, quàm vel propria infirmitas vel negligentia adducit, atque hæc ſolet eſſe frequentior.

Ad hanc igitur duo præcipuè præ oculis habenda ſunt, nempe terminus ad quem, & terminus à quo. Nempe illa ipſa vitæ perfectio quæ nobis ex inſtituto propoſita eſſe debet, & quam intendere debemus. Ac receſſus ab illa per imperfectiones illas quæ in præſenti hoc ſtatu noſtro nos ab ea perfectione ſeiungant, à quibus recedere neceſſariò debemus, ſi propoſitam perfectionem aſſequi velimus.

Finis illius perfectionis ſeu potius intentio eius in hoc toto reformationis genere & negotio potiſſimas agit partes: ex ea enim præcipuè totus profectus dependet. Sicut enim non poteſt fieri vt vllam vitæ reformandæ cogitationem ſuſcipiat is, qui nullum vllius perfectionis deſiderium habet; ita qui vel non tantam ſibi perfectionem proponit, vel ſi proponat id tamen facit perfunctoriè & ſpeculatiuè potius quã practicè, fieri non poteſt vt ſeriò velit, quæ in ſe aliena ab ea perfectione deprehenderit, ad illius exemplar reformare. Et quidem omni homini ſocietatis non congruum ſolum eſt, ſed neceſſarium, vt in formam Chriſti Domini Redemptoris & Regis noſtri intuendo ſe ad maximam perfectionem excitet, quod quia remiſſiùs aliqui, aliqui contentius faciunt, inde ea in ſocietate in regularum obſeruatione, & mediis perfectionis vſurpandis, modoq; agendi varietas, quæ ad duplex genus reuocari poteſt. Primi & optimi ſunt qui ſincerè & ſerio eam omnẽ perfectio-

nem intendunt, ad quam Christus ipse nos & verbo & exemplo inuitat, & quam Societatis institutum continet; & conantur perpetuò intentionis suæ oculum nulli contagioni obnoxium conseruare, & in arduum illum finem defixum tenere, sollicitè cauere ne quid remittant. Alij sunt, qui licet videantur eamdem perfectionem intendere, practicè tamen satis apparet eam intentionem nec firmam esse nec veram, cum multùm humani admisceant, & (vt ait S. Bernadus in sententiis.) Et si sint Dei obsequio mancipati ratione status (vnde etiam fit vt sibi imponant & persuadeant se perfectionem prosequi) & Deo etiam seruiant, tamen simul se querunt, & erga se indulgentiores existunt: vnde fit vt nihil vel valdè parum à communi consuetudine recedant, personæ suæ dignitatem omnem conseruatam velint & auctam, infra alios se non humilient, rariora & perfectiora virtutum exempla nec ipsi edant nec in aliis ferant sine aliqua interna tristitia &c. Id quod illis contingit, vel quia initio non satis apprehenderunt quantam perfectionem Societatis institutum requireret suâ negligentiâ, dum inter occupationes externas sibi satis non attenderunt, sensim sine sensu à bonis desideriis eò dilapsi sunt. Et horum quidem status plurima habet incommoda: nam multas imperfectiones & in sinceritatem magnam admittit; solet esse coniunctus cum inconstantia, consolatione diuina & pace interna vix fruitur, minùs aptus est ad res magnas prout societatis institutum requirit efficiendas: nam parùm solidus est & firmus, sed mutabilitate rerum humanarum, & respectuum necessariò circumagi turbaríque potest, & grauiter

ter nonunquam concuti, non ita conciliat amorem hominum tum noſtrorum tum externorum, habet & domi & foris inuidiam hominum, quibus non ſatisfacit in omnibus, & non habet eam admirationem & comprobationem hominum, quæ raram virtutem comitari ſolet, non protegitur peculiari diuinæ prouidentiæ fauore, qui faciat vt omnia in optatos fines dirigantur: hunc enim diuina bonitas modum tenet cum hominibus, quos tanta gratia & vocatione adeò ſublimi dignatur, vt quò puriùs in Deum ſe & ſua omnia referunt, eò ſollicitiùs non tantùm quæ ſunt ſpiritualia prouideat, ſed cætera omnia adiiciat. Quando autem non adeò liberaliter ſe in Deum effundunt, ſed humanis ducti rationibus partem ſui ſuarumque actionum & ſtudiorum ſibi retinent ad vanam gloriam hominumque fauorem, tunc verò Deus vel permittit, vel iuſtè ordinat, vt aliquo alio humano caſu, vel conſilio contrario in omnia peiùs ruant. Quare certiſſimè poſitum hoc fundamentum teneamus, quod ſi quam ſtatui noſtro conuenientem perfectionem cognouerimus, eam totam non ſeriò fuerimus amplexi quocumque prætextu vel reſpectu, fore vt diuinina prouidentia pleraque noſtra inſincera conſilia euertat, nec patiatur vt receſſus à Deo ſit nobis honoris, vel alterius alicuius boni acceſſio. Itaque qui ſeriò vult eſſe qualis debet & propriæ vacare reformationi; hoc primum agat vt intentionem ſuam defigat in finem ſummæ illius perfectionis aſſequendæ, & circa illum ſe ſtabiliat & confirmet, vt nulla ratione patiatur ſe ab illa dimoueri, ratus ſi vel minimùm minuatur ea intentio, vel langueſcat, nec poſſe ſuccedere re-
formationem

formationem, nec quidquam aliud.

Hoc fine ita constituto, facile erit de termino à quo est recedendum, iudicare, & sibi materiam propriæ reformationis constituere. Nam ex bene formata ea intentione, Deo influente lumen quoddam practicum statim diffundetur in omnes actiones nostras & internam dispositionem, quo & quam procul ab eo absimus intelligemus statim, & quam multa grauiaque sint ea quæ nos ab illo prohibent, discernemus, & incipient etiam motiua aliqua & rationes viæque ea ipsa reformandi sese aperire. Huic lumini vt cooperetur qui reformationi studet, si velit ordinatè procedere, debet imprimis materiam circa quam emendandam constantia eius versetur sibi præscribere, deinde causas & fontes illius imperfectionis exquirere, remedia quibus vti in posterum debeat eligere.

Materia reformationis sunt peccata grauiora, imperfectiones, & alia si quæ sunt impedimenta perfectionis. Hanc vt clarius cognoscat, seipsum serio & sine fuco & excusatione amoris proprij, secundum status sui finem examinare, & videre qualis sit & esse debeat respectu Dei, proximi, & sui: quid desit in memoria, intellectu & voluntate, passionibus, sensibus externis & lingua; quas experiatur inclinationes ad vitia, & num sentiat auersiones vehementes ab aliqua virtute: ex horum enim & similium discussione facilè quid in se sit reformandum intuebitur. Vide de Paz p. 1. cap. 11. in fine pag. 408. & Thomam à Kempis.

Licet autem singula etiam minima agnoscere bonum sit, parui tamen animi, inutilis & infiniti

infiniti laboris eſt ſingulis adhærere, ſed tantùm præcipuà quædam notanda ſunt, idque ſcripto tum ad certiorem circa ea conſtantiorémque pugnam, tum vt in poſterumCatalogus ille memoriæ ſuccurrat, & cum opus erit, poſſit ante oculos poni,vt in eo, quaſi legamus, quid nobis deſit. Denique vt cum iterum diei examen fiet, facilius conſtet de profectu. Nec tamen eæ imperfectiones paruæ cenſendæ ſunt, quæ licet in ſe & natura ſua parui momenti ſint, tamen in nobis valde malos affectus habent. Quare nunquam expendendæ ſunt in ſe & in abſtracto, ſed quatenus in nobis exiſtunt,& tales taléſue affectus ſolent producere: nam hinc de earum grauitate iudicari debet & conſtare, num notandæ ſint. Nam verbi gratia etſi ſit parui momenti ſtudium aliis placendi, vel vanæ exiſtimationis colligendæ, ſi tamen quis efficiatur inuidus, curioſus, mordax, contentioſus, facilè ſpiritualia contemnat, vt vacet ſtudiis, &c. certè ea imperfectio in eo non erit parua, quæ in alio ſi ſit moderata pene nullius erit momenti. Idem eſt de negligentia in ſpiritualibus rebus & exercitiis humilitatis & mortificationis, &c. ſi inde ſequatur animi diſſolutio, &c. Interdum notari poſſunt quædam minutiora, imò etiam externi defectus, quando ſcilicet notabilem indecentiam & ſæpe moleſtam continent, vt poteſt eſſe in aliquo geſtu,vel oris compoſitione aut verbis; ſed illa requirunt breuem aliquam ad tempus curam,qua vel ſuperentur,vel ad aliquam mediocritatem redigantur,&c.

Ad mediocritatem: nam in rebus externis, vel etiam internis minimi momenti,non eſt laborandum

borandum donec plus perficiantur ; ſed cum eſt aliqua in iis laudabilis moderatio , oportet altiùs aſſurgere ad alia, non quod iſta relinquantur,ſed quod alio modo per alia perficiantur. Quemadmodum in ſcientiis contingit , vt qui perpetuò in inferiori ſcientia hæreret , non eſſet in ea tam perfectus quàm is qui ad ſublimiorem ſcientiam cum inferiore coniunctam tenderet , & inferioris recognitioni ſe traderet.

Poſſunt verò eſſe varij imperfectionum fontes. Primus eſt defectus luminis ſpiritualis neceſſarij ad eam perfectionem quæ nobis propoſita eſt : nam inde naſcitur cæcitas ſpiritualis,vnde & magni errores & magni lapſus voluntatis : ſicut ad naturales actiones rectè diſponendas oculum naturalis luminis dedit Deus , ita ad ſupernaturales actiones largitus eſt oculum fidei , quo qui non vtitur , fieri non poteſt vt bene Chriſtianè viuat ; Illi autem qui ad maiorem perfectionem vocati ſunt, egent ſine dubio clariore quodam lumine , & fidei vſu longè perfectiore : Quare ſolet Deus iis infundere lumen ſapientiæ & præcipuè prudentiæ ſupernaturalis , qua actiones omnes ſuas in finem illum referant , ac proinde perfectioni finis illius proportionatas efficiant. Ad hanc prudentiam ſpectant practica lumina non generalia tantùm , ſed particularia præcipuè & ſingulis accommodata , quæ ſolet Deus infundere , ſiue quando nos ſeriò ad finem noſtrum attingendum in virtutum omnium ſtudio exercemus , ſiue cum meditamur , ſiue cum aduerſis rebus, aut proſperis vtimur , aut cum legimus , audimúſque ſpiritualia : nam Deus eiuſmodi ſemper lumina infundit in animam,eóque abundantiùs , quò

&

& perfectio maior eſt, & eam magis ſeriò & diligenter proſequimur. Dici non poteſt quantopere proſit ad ſalutem & perfectionem huiuſmodi luminis abundantia, adeò vt tota inde pene dependeat. Quare neceſſe eſt eam valde impediri, & graues naſci imperfectiones quando ea abſunt, eóque grauiores, quò magis iis priuamur, vt videmus contingere hæreticis, qui oculo fidei carent, malis Catholicis, qui dictamina diuinæ prudentiæ reſpuunt, & nonnullis Religioſis, qui licet abundent mediis ſpiritualibus, & occaſionibus magnis, tamen vel negligenti earum vſu ea lumina non habent, vel ſi habent aliquando, ea quaſi à ſe repudiant, & ſecum ipſi diſſimulant, vt liberiùs in ſua laxitate perſeuerent. Imo verò nonnunquam ſæcularia planè, & mundana dictamina perfectioni repugnantia admittunt, & iis vtuntur in vitæ & ſuarum actionum directione. Talia ſunt.

Primò eſſe nonnunquam tempori cedendum & diſſimulandum.

Secundò. Non eſſe homines capaces tantæ perfectionis modò, ſed eſſe remittendum de priſtina ſeueritate, & de conſcientiæ ſiue diſciplinæ & inſtituti rigore, maiores non ita ſcrupuloſos fuiſſe, &c.

Tertiò. Eas tantum pœnitentias, orationes, & opera eſſe approbanda quæ imponit inſtitutum; eos qui præterea aliquid addunt, eſſe ſingulares.

Quartò. Habendam eſſe rationem ſui honoris; etiam ſi id non exigat maius Dei obſequium.

Quintò. Exiſtimare ſibi aliquid perire ſi te huic

huic vel illi ſubmittas,ſub illo humilies,ab eo quid patiaris,peiùs illo habearis in veſtitu,cubiculo,&c. is præ te honoretur, &c. idque ſine alio intuitu quam maioris gloriæ Dei.

Sexto.Conandum vt omnibus placeas,nemini diſpliceas, vnde fit vt in iocos & exteriora te effundas,parum de internis ſollicitus.

Septimo.Officium erga proximum adeò exactè peragendum vt inde honoreris;vnde quæ propriæ ſunt perfectionis negligas.

Octauo. Valetudinis eam eſſe rationem habendam,vt corpus indulgentiùs quam par ſit tractetur.

Nono.Quæ corporis animæque relaxationi conceſſa ſunt,ea ex rigore non eſſe exigenda,& alia id genus.

Secundus fons. Eſt naturalis voluntatis propenſio ad bonum proprium. Eſt enim appetitus vniuerſalis hominis, qui cum conſtet corpore & anima, eget bono aliquo tam pro corpore quam pro anima, & à Deo voluntatem accepit,qua vtrumque & appetat & proſequatur. Verùm voluntas ipſa non apprehendit bonum illud quod deſiderat, ſed eſt alia potentia; verbi gratia,guſtus apprehendit cibum,quem appetit voluntas: Et quia bona ſpiritualia animæ non apprehenduntur perfectè,quia non poteſt intellectus Deum & diuina intelligere niſi per phantaſmata, nec ita illa voluntati vt præſentia ſtatuere, iccirco voluntas ad ea tardiùs, ſegniuſque fertur, tanquam ad ea quæ aliquando ſunt aliena. & parum neceſſaria ad præſentem ſtatum, & quaſi remota à ſe & altiora, multíſque difficultatibus circumſepta. Et verò ad inferiora bona fertur longè vehementius

hementius, quia earum plena poſſeſſio fruitióque ex aliis potentiis inferioribus quæ perfectè ea apprehendunt, in ipſam voluntatem redundat, & eam mirificè afficit, & quò magis afficit, etiam deinceps maiori pondere voluntas in eadem trahitur: vnde variæ inclinationes hominum ad varia bona inferiora, quas cum ratio Dei gratia non coercet intra terminos, generantur peccata. Sic quidam in bonum propriæ exellentiæ magis propendent. Alij in cibum & potum & alias corporis delectationes. Alij in auaritiã, &c. Hinc enim capitalia oriuntur vitia.

Tertius fons eſt in appetitu inferiori, etenim valde auget eam propenſionem voluntatis in bona naturæ commoda. Cum enim huiuſmodi bona ſint vt plurimum delectabilia mediante delectatione, eorum commoditatem & conuenientiam voluntati magis commendat, ad quod habet paſſiones vndecim quas in illam immittit, licet enim à Deo datæ ſint, vt non tantùm ad bonum vitæ neceſſarium acquirendum, malúmque propulſandum nos iuuent, ſed etiam ad bonum virtutis nos promoueant, tamen quia ad externa & inferiora hæc bona quæ percipiunt, ſunt quodammodo determinatæ, ſæpe licet voluntas videatur aliud velle, tamen eam ſecum rapiunt reclamante nequicquam ratione.

Quartus conſiſtit in malis inclinationibus, quas quiſque habet à natura, complexione, & corporis habitudine: & ſi enim vndecim paſſiones indifferenter hominem exerceant, non eadem tamen omnes ratione. Nam naturalis complexio generalem illam corruptionem determinat magis, & ad affectus magis particulares ſingulos

gulos facit propendere : hinc ſanguinei in vana & ludum ſunt propenſiores, ſibi aliiſque indulgentiores, parùm ſerij & conſtantes. Bilioſi vt plurimùm ſunt ſuperbi, ambitioſi, impatientes alieni imperij. Phlegmatici ſomnolenti, tardi, otioſi. Melancholici triſtes, obſtinati, tenaces proprij iudicij, ſuſpicaces, timidi; &c. Quia varia tamen eſt harum complexionum permixtio, & rarò aliquis inuenitur in quò adeo notabilis humor aliquis dominetur, hinc facilè poteſt notari quæ ſint cuiuſque inclinationes à complexione; licet facilè quiſque non poſſit de ſe iudicium ferre.

Quintus oritur ex malis habitibus in ſæculo, & poſteà in Religione acquiſitis, qui additi ad naturalem complexionem, & totius naturæ corruptionem magno impetu trahunt ad vitia, imo aliquando bonam complexionem euertunt; eſt autem cuiuſque reflectere oculos in vitam priſtinam.

Sextus pendet ex occaſionibus externis, ratione loci, officij, negotiorum, conuerſationis, per quas obiecta bonorum creatorum ab externis ſenſibus hauriuntur, & per eos in animam penetrant, & ibi ſuà præſentià vehementer mouent appetitum & paſſiones, eóque vehementius quò ea bona ſunt maiora, & per huiuſmodi occaſiones viuacibus ſenſibus externis, & per eos imaginationi, appetitui, & voluntati repræſentantur.

Septimus conſiſtit in tentationibus à Dæmone illatis, Deo id permittente ſiue ad ſuam gloriam dum eiuſmodi tentationibus occaſionem habet oſtendendi diuitias ſuæ bonitatis, miſeri-

cordiæ,

cordiæ, ſapientiæ, &c. ſiue ad noſtram vtilitatem, & virtutis exercitium, ſollicitudinem acuendam, augendum meritum & maiorem coronam. Nihil poteſt Dæmon in intellectum & voluntatem, ſed tantùm permittitur ei exteriùs obiectum per imaginationem repræſentare. Quod facit vt vehementer ſuadeat & appetitum inferiorem commoueat, vt magnam vim voluntati faciat, ad quem finem vtitur occaſionibus externis, & internâ noſtrâ diſpoſitione, quam idcirco diligenter explorat. Et hinc clarum eſt hos omnes fontes & cauſas ſæpe pertrahere ad peccata & imperfectiones, alias tamen aliis vehementiùs, id quod ſedulò diſcernendum.

Vt autem poſſit meliùs diſcernere, imprimis neceſſe eſt feruenter petat lumen cœlitùs: nam facile fit, vt hi fontes minùs nobis diſpliceant, quia cùm penitus inſideant animæ noſtræ, & ſint veluti naturales, facillimè ſeſe tegunt, & nobis placent, excuſantúrque à nobis vel comitatis, chariratíſue, aut humilitatis, vel zeli, alteriúſque virtutis prætextu. Quod præcipuè locum habet in Religioſis, etiam iis qui diu fuerunt in Religione; in quibus cauſæ hæ ſolent eſſe valde ſubtiles, & ſeſe multum inuoluere, & perniciosè latere etiam ſub prætextu contrariæ virtutis: Nam inde fit vt plerique, quia experiuntur in ſe aliqua humilitatis deſideria & complacentias, non facilè poſſint iudicare ſe eſſe ſuperbos, cum tamen ſæpe ſuperbiâ abundent. Deinde proderit percurrere ſeriò & coram Deo tempus anteactum, occupationes, noſtróſque defectus quaſi ordinarios. Etſi enim ſit difficile ex vno vel altero actu in breui examine diſcer-

nere fontem, tamen quando ſimul multi temporis actiones diſcutimus ex affectionibus ordinariis, & frequentibus, facile eſt inueſtigare totius mali cauſam.

Nonnunquam tamen permittit Deus lapſum vnum grauiorem, vt ex eo poſſimus detegere peſtilentem aliquam radicem, quã vel non agnoſcebamus, vel non tanti faciebamus, ſic ſubinde ex ſuperbia & affectu placendi hominibus, quem non malum putabamus, vel parui momenti, permittit Deus nonunquam grauem murmurationem, inuidiam, detractionem, &c. Et ex negligentia in ſpiritualibus, graues & periculoſas tentationes, & nonnullos lapſus conſenſúſque. Proderit etiam circunſtantias expendere cum quibus peccatum ipſum ſit, exempli cauſa, ſi ſim obnoxius murmurationi de ſuperioribus, poſſum conſiderare an de re quauis obmurmurem, an de aliqua tantùm, an cum quouis ſim pronus ad hoc modo agendum, an tantùm cum aliquibus; ſi tantùm cum aliquibus, ſignum eſt quod non ab interna inclinatione, ſed extrinſeca occaſione & impulſu oriatur; ſi cum quouis cui confidam, tum ſignum eſt quod ab intrinſeco proueniat: ſi de re aliqua tantùm, vel illud eſt factum particulare, & tum ratio murmurationis ſolet eſſe impatientia, vel aliqua immortificatio circa id obiectum, vel eſt in vno rei genere; verbi gratia in confeſſionibus audiendis, in officio ſartoris, &c. & tantũ obmurmurandi ratio eſt iudicium proprium, & quòd in ea re peritus haberi velim vel excellere, ſi denique in omnibus obmurmuro, hoc fit quia proprio iudicio, & ſuperbia abundo.

Cauſâ

Causâ mali repertâ, non est difficile remedium inuenire.

Remedia mali quædam sunt vt communia seu generalia, vt sunt quæ omni peccato aut imperfectioni aut saltem multis obsistunt, vt est cognitio nouissimorum, præsentiæ Dei, deformitatis peccati &c. Quibus egregiè munire mentem par est.

Particularia sunt quæ magis particulariter obsistunt alicui vitio. Ea iterum sunt duplicia, nam quædam sunt in consideratione posita, alia aliquid præterea addunt: Eorum quæ in consideratione posita sunt, quædam sunt eiusmodi vt vehementer hominem statim concutiant, ardenter ad perfectionẽ excitent, & ab omni imperfectione reddant alienissimum, & hæc perferenda sunt, quando vrget præsens mali occasio, nam vehementi sua concitatione faciliùs voluntatem abducunt ab imminente periculo.

Quandoque autem considerationes non pariunt adeò vehementes voluntatis motus, sed intellectum ita clarè & euidenter conuincunt vt solida & infirma iudicij proposita eliciat de eo quod sit facto opus, & euertant id omne quod in vitio contrario vitiosum apparere posset: atque hæ præferendæ sunt, quando nihil est quod vrgeat, nam huiusmodi considerationes, cum in euidenti ratione fundentur, vires capiunt ipso tempore, & paulatim magnos motus concitant, pariúntque remorsus in conscientia vtilissimos, dum referunt veritatem apertè cognitam; Quæ verò aliquid addunt considerationi, habent multùm momenti & præcipuè valent ad ipsos fontes coercendos. Talia sunt actus intreni & externi

 contrarij

contrarij ipſis peccatis,& imperfectionibus.

Atque notandum eſt vt remedia apta eligas,imprimis neceſſe eſſe coram Deo totam rem diſcutere, & eius auxilio impenſiùs implorato, illa eligere ante alia omnia quæ tibi ſuggeſta fuerint. Quam ad rem tamen iuuari debes alterius viri ſpiritualis conſilio.

Deinde ſciendum eſt pro ratione imperfectionis quam quiſque intendit, ſolere etiam præcedere electionem mediorum. Homines ſæculares & etiam ij Religioſi, quibus ſatis eſt cauere mortalia,ſolent ordinarie ea ſolùm aſſumere quibus ſibi conſulere putant. At verò qui ſeriò ſtudent perfectioni, ea remedia quærunt & amplectuntur ſtudioſè quibus ipſos fontes exſiccent, & non ſolùm vitent peccata grauiora. Quare licet peccata expugnare omni ratione conentur, tamen non tam aſſumunt remedia quæ illis ſunt contraria directè, quàm quæ directè cauſæ ipſi repugnent eámque tollant; nam ea ſunt maximè efficacia, verbi gratia, etiamſi maximè repugnet murmurationi contrà Superiorem ſeipſum ita ſuperare, vt omnes eius actiones laudentur, tamen ſi oritur illa murmuratio ex eo,quod me in ea arte vel opere reprehendat, in quo peritus videri volo, præſtat vt me in eo exerceam, vt non affectem peritus videri, ſed imperitus potiùs: Quare cum animaduertimus aliquam inclinationem in nobis eſſe cauſam multorum peccatorum & imperfectionum, vtiliter contrà illam poterit ſuſcipi pugna.

Sunt etiam è remediis ea potius approbanda quæ magis vniuſcuiuſque naturæ conueniunt, cauendúmque ne ea optima putemus, quæ in ali-

quo

quo authore, vel à concionatore aliquo acceperimus, atteſtante ea ſibi fuiſſe aliiſque perutilia, vt enim corpora cibis, ſic animi non æqualiter remediis afficiuntur.

Denique non nimis ſunt multiplicanda, & deinde inuigilandum eſt, vt quod bene repertum eſt frequenti repetitione & altiùs penetret, & magis, familiare reddatur, ita vt vltrò non cogitanti occurrat, & vltrò ſe ingerat. Ad quod iuuabit certum aliquod tempus illi repetitioni aſſignare, & certum illius modum ſibi præſcribere.

Inclinationes nonnullæ quæ multarum imperfectionum fontes eſſe ſolent.

ORdinaria in oratione ſpiritualibúſque exercitiis negligentia, vel diſtractio aut ariditas, languor & defectus ſpiritus, vniuerſalis quædam debilitas in virtutum perfectioníſque ſtudio, defectus obedientiæ & ſubiectionis voluntatis ſolitæ voluntati Superioris repugnare, defectus internæ recollectionis, cùm ſecum habitare neſcit, ſed ad exteriora ſe totum effundit, neque ea ſolet ab interno principio moderari.

Amor propriæ excellentiæ, honoris, gloriæ.

Iracundia, impatientia.

Auerſio à fratribus & defectus charitatis quocumque prætextu, vt antipathiæ, &c.

Inclinatio nimia ad corporis commoda, recreationes, & ea quæ ad ſenſualitatem ſpectant.

Defectus ſinceritatis & ſimplicitatis agendo,

præcipuè cũ superioribus, quo fit vt illis clarè nõ aperiamus nos, sed subterfugiamus eorum oculos, & velimus omnia nostra illis esse occulta.

Defectus simplicitatis in nostra conuersatione.

Neglectus quidam conscientiæ parùm timoratæ, & leuiora parui facientis peccata.

Dissolutio & laxitas in Religiosæ vitæ & disciplinæ obseruatione.

Otiositas & temporis iactura; præcipuè cum fit ex tædio laboris circa illus officium quod nobis impositum est, cum nobis persuademus non esse opus tantâ curâ laboris sollicitudinéque, & ita minùs perfectè obimus ad quietem aspirantes.

Auersio animi à superiore.

Contentiones sine aliis & pertinacia, proprijque iudicij durities.

Detractio, murmuratio, discordiarum seminatio, pacis perturbatio quocumque modo fiat.

Ad secundum Exercitium de peccatis.

FInis huius secundi Exercitij & primi duplex est. Primus est detegere & in apertum eruere nostras imperfectiones habituales præcipuè quæ solent esse occultiores. Secundus est eas æstimare vt par est & detestari, serióque proponere, inuestigare, & vti mediis nostris ad eas extirpandas: priori seruit primum punctum in quo ex actualibus veluti ex riuulis ad ipsos habitus & fontes inueniendos perueniemus, Posteriori verò

rò tum primum punctum ſeruit, tum reliqua. Sunt autem tria motiua maximè ad illum finem efficacia. Primum eſt ipſa multiplicitas & varietas imperfectionum noſtris obiecta oculis: quis enim ad tot veluti monſtra non horreat? hæc porrò tanta varietas prouenit ex creaturarum variarum, quæ ad Dei gloriam referri debebant, abuſu. Secundum eſt ipſa natura imperfectionis cuiuſque de qua agit in ſecundo puncto. Tertium eſt extrinſeca Dei prohibitio quæ eaſdem imperfectiones vt contrarias ſibi ſuíſque omnibus attributis atque gloriæ ſuæ prohibuit: de qua vt colligitur ex fine ſecundi puncti agit in tertio puncto & ſequentibus: vnde hoc exercitium pulcherrimum eſt & efficaciſſimum, nam continet omnia prorſus motiua quæ excogitari poſſunt ad peccata deteſtãda.

Oratio præparatoria & duo præludia vt in primo Exercitio.

PRimum punctum erit penitùs intrare in animam meam, & attentè rimari internam eius faciem, conſiderando Primò quæ ſint ordinariæ meæ cogitationes, verba, opera, omiſſiones. Secundò quomodo ab ipſa hora ſurgendi ad diei finem meas actiones omnes, & Religioſæ vitæ curſum deducam. Tertiò in particulari expendendo quomodo me geram in iis quæ Deum attingunt, quàm circa orationem & communionis cum Deo ſtudium ſæpe negligens, quàm parcè, quàm irreuerenter, quàm infructuosè, quantis cum diſtractionibus, tœdio, ſtupore, me geſ-

ſerim coram Deo, & quoties etiam orationes ſolitas omiſerim, quàm parum ſeriò & cordatè & ſincerè cum Deo ambulauerim, quàm parum ex animo cum eo egerim, quàm fucata & inani vitæ ſpiritualis imagine contentus fuerim. Quartò, Circa Religionem; expendendum, quæ fuerit votorum & Regularum obſeruatio, quis inſtituti amor, & quam cordialis erga illum affectus, quale virtutum Religioſarum, charitatis, humilitatis, patientiæ & modeſtiæ exercitium. An interno me affectu perfectioni inſtituti conformarim & ſolidis virtutibus ſtuduerim? an tantùm ſpecie quadam virtutum vt hominibus ſatisfacerem, fuerim contentus? Quintò cum noſtris & externis quomodo fuerim conuerſatus, & mihi impoſitum officium expleuerim, an cum ea ædificatione & fructu qui debebat exiſtere, externa compoſitione vſu linguæ & ſenſuum. Sextò circa meipſum quomodo corpus tractauerim in cibo, potu, ſomno, mortificationibus, recreatione, pro Chriſto laboribus.

In his attendendum; Primò, an aliquod ſit grauius peccatum vt de eo magis & expreſſiùs doleam; deinde num in aliquibus ſoleam ſæpe & planè voluntariè, atque adeò ex contemptu delinquere.

Ex his bene diſcuſſis primò colligam, quàm rara & perfunctoria in me fuerit memoria & intentio finis mei, quàm remiſſus iam abhinc vno anno præcipuè fuerim circa perfectionis deſiderium & mediorum vſum. Secundò quinam ſint præcipuè imperfectionum fontes, & radices quæ me impedierunt: an ſuperbia, an ira, an gula, an corporis amor, inuidia, &c. Vbi tres vel quatuor

tuor præcipue ſunt notandæ.

Finis huius diſcuſſionis eſt, vt abiecta animi diſſimulatione & fuco, quo ſæpe nobis imponimus nos tales verè coram Deo agnoſcamus quales ſumus, verbi gratia, ſuperbos, impatiẽtes, propriæ voluntati & iudicio, commodis addictos, &c. Vt inde confundamur & ad emendationem prouocemur.

Secundum punctum. Perpendam quanta ſit fœditas horum peccatorum & imperfectionum ex natura ſua, ſingulas quas in me notaui ordine expendendo. Vbi primum cogitabo naturam peccati & imperfectionis talis in eo ſitam, quod priuet rectitudine & perfectione quæ in eo ſubiecto deberet in eſſe.

Secundò. Conſiderando hominem *Societatis* tot acceptis à Deo beneficiis & donis ornatum, tot adiumentis inſtructum, ad tantam perfectionem vocatum, eſſe ſubiectum capax eximiæ cuiuſdam perfectionis quæ in eo ineſſe deberet ratione ſtatus, ſicut fuit in *B. Ignatio*, & multis aliis.

Tertiò. Peccata & imperfectiones præcipuas priùs notatas componam cum oppoſitis perfectionibus, verbi gratia, ſuperbiam meam cum humilitate, quæ in homine *Societatis* eſſe deberet, ſimilis Chriſti humilitati, & confundar coram Deo quod id profitear exterius à quo longiſſime abſum, & ita de aliis.

Tertium punctum erit perpendere harum mearum imperfectionum fœditatem ex extrinſeca Dei prohibitione. Conſiderabo igitur has imperfectiones Deo diſplicere & prohibitas à ſupremo meo principe & Creatore, & mihi prohibitas vt gloriæ eius contrarias, & omnibus, eius

perfe

perfectionibus repugnantes, bonitati, iustitiæ, potentiæ, sapientiæ. Itaque cum ego creatura sim adeo imperfecta & veluti vlcus fœdum, eius gloriæ me oppono, & lædo omnes eius perfectiones easdémque contra me prouoco, & quâ me pœnâ hactenus dignum puto.

Quartum punctum. Infinita tamen eius misecordia hactenus me expectauit, & tulit non inutilem modò, sed indignissimum seruum & vilissimam craturam, cui tamen putas bono? ergo in exclamationem prorumpam & affectu vehementi admirans, mecum inquiram huius tantæ misericordiæ causas ex parte meâ, ex parte vitæ pristinæ, ex parte iustitiæ Dei, &c

Quintum punctum. Videre etiam quod pro iusta reiectione ab amicitia, domo, obsequióque suo: etiam parat me recipere in seruum, imo iterũ in filium charissimum, venit obuiam, protendit brachia, offert amplexus. O quales amplexus! thesauros suæ bonitatis, sapientiæ, potentiæ aperit vt me ornet magis & instruat, & instrumentũ gloriæ suæ amplius efficiat, fontibus peccatorum meorum exsiccatis, euulsis radicibus: confestinabo igitur, & procurram, dicamque, Pater peccaui in cœlum & coram te iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenariis tuis. O Deus meus etsi filius tuus sim, & amore filiali verè velim in æternum tibi seruire, tamen ob tot meas imperfectiones vt filius à te agnoscar, & filius tracter, planè sum indignus, ergo plagis potius me contere in hac vita durè, parcè, tenuitérque tracta, vilissimis officiis me occupa vile mancipium despicatissimum, tantùm fac vt in tua domo tibi perfectè seruiam.

Tertium

Tertium Exercitium est Repetitio.

REpetitio vtriusque meditationis ita fit vt ex vtraque quodammodo vna fiat,& factis præludiis omnia puncta primæ meditationis , & deinde omnia secundæ singula suo loco nullo omisso percurrantur, facta tamen ad singula reflexione , num in eo puncto consolationem aut desolationem senserimus. Notandum tamen in repetitionibus vitandos esse longos discursus , sed percurrenda sunt ea quæ prius meditati sumus, & commorandum sola voluntate , confirmando affectus quos ante habuimus. Et puncta in quibus ariditatem experti sumus, proponendo breuiter nobis,vt tentemus nũ quis sensus quod sæpè contingit,suauiter queat elici.Porrò quia in repetitionibus est indulgendum magis affectibus, ideo triplex hic colloquium præscribitur.Est autem triplex finis repetitionis qui in tribus colloquiis ad B.Virginem,Christum & Patrẽ petitur.Primò vt intimè pernoscamus,quomodo à fine nostro & recto vsu mediorum aberrauimus. Secundò. Errore illo cognito,nos recto ordini nostrásque actiones restituamus.Tertiò. Omnem affectum internum mundi à nobis haustũ,omnes malas propensiones & radices eiiciamus & euellamus,quæ petenda sunt eodẽ ordine & modo quo suggeret affectus,

Pater Aue.

Exercitium de morte.

MOrtis consideratio potissimum est medium ad affectiones nostras inordinatas in ordinem rectum reducendas, & voluntatem nostram abstrahendam à nobis & omnibus rebus creatis, ne illis fruatur, adhæreátque vt fini, sed potiùs vtatur vt mediis. Ad eum finem confert plurimum consideratio iudicij particularis, itaque non sine fructu hæc exercitia proponi hic possunt. Quamquam aliquando pro ratione circumstantium omitti possint. Quod quando fiet, saltem non est omittenda præparatio ad mortem & iudicium, quæ est repetitio vtriusque.

Primum præludium est, vt meipsum in lectulo decumbentem à medicis derelictum sine vlla spe vitæ, quàm possum vehementissima apprehensione concipiam.

Secundum prælud. vt petam à Deo gratiam sentiendi nunc mortis incommoda, vt vitam ac mores in meliùs emendem, ea ratione qua tunc fecisse maxime vellem.

Primum punctum. Considerare mortem esse perpetuam priuationem huius vitæ, parentum, cognatorum, amicorúmque, rerúmque omnium tum delectabilium, tum vtilium quas maximè diligis sine spe vlla, eadem in hac vita reuisendi. Homo, inquit Iob, cum mortuus fuerit nudatus & consumptus vbi quæso est.

Secundum punctum. Perpendere certitudinem mortis, quæ primo colligitur ex ipsa hominum

num natura, ex contrariarum qualitatum, & humorum conflictu interiore, ex cœli exteriore intemperie. Secundò ex Dei præceptis: statutum est, ait Apostolus, omnibus hominibus semel mori. Tertiò. Ex pœna peccati; per vnum hominem, ait idem Apostolus, peccatum in hunc nundum intrauit, & per peccatum mors. Quartò experientia omnium qui præcesserunt ab initio mundi vsque ad hoc tempus, quamuis insignes in sanctitate, doctrina, diuitiis fuerint, & Ecclesiæ Dei viderentur valde vtiles.

Tertium punctum. Expendere certitudinem mortis ratione ætatis, horæ, loci, generis mortis, status, siue gratiæ, siue damnationis, in quo erit homo. Quot putas hac ipsa hora morientes pœnis æternis mulctandos, iam si tibi moriendum esset, quid de te futurum crederes? Illa Christi Domini dicta perpende. Vigilate quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Estote parati quia nescitis quâ horâ filius hominis venturus est.

Quartum punctum. Considerare quæ sunt ventura circa corpus, tum ante tum post mortem. Primo enim superueniet dolor incomparabilis à diuturnitate & grauitate morbi, & ab animæ discessu mox futuro. Quare vix poterit suscipi vlla efficax cognitio de salute, quia illuc rapitur naturaliter intentio mentis vbi est vis doloris, ait S. Augustinus. Insensibilitas & defectus in omnibus sensibus. Tertio horror fœdissimi sepulchri mentis oculis obiecti, in quo à charioribus corpus expulsum ponendum est, vt sit esca vermium, ne sua putredine & corruptione mundo noceat. Quartò, Quod S. Iob nouerat cum aiebat

bat;putredini dixi pater meus,& mater mea,& soror mea vermibus.

Quintum punctum. Considerare quæ circa animam sint futura, longè enim grauissimus erit animæ languor. Primò ob instantis iudicij rigorem: quia nemo scitan odio vel amore dignus sit. Secundò ob certitudinem veræ contritionis. Tertiò ob multitudinem peccatorum occurrentium,nec digna pœnitentia deletorum. Quartò ob occulta peccata quæ tunc fortasse multa & grauia occurrent. Quintò ob grauitatem eorũ quæ ante leuia putabantur. Sextò ob terribilium dæmonum grauissimas tentationes, contrà fidem, spem, charitatem, pœnitentiam. Septimò, ob anxietatem quia nescit an adhuc sit in hac vita vel in alia,& propterea an adhuc sit pœnitendi locus.

Sextum punctum. Quò me vertam nesciam: regredi vetabit morbus, progredi horribile erit, consistere non sinet Deus,suprà Iudex iratus cernetur, infrà sepulchrum fœtidum corpori; infernus verò animæ paratus, intrà conscientia condemnabit, circum dæmones instabunt, proximi item & amici vix ad tumulum comitabuntur, omnia omninò erunt relinquenda, & tanquam vmbra præteriisse clarè perspicientur, intimè cogitabo quod me tunc fecisse vellem quia non concedetur vlteriùs tempus pœnitendi. Quia vocaui & renuistis,ego quoque in interitu vestro ridebo,erit enim tunc nox quando nemo poterit operari.

Colloquium ad Christum in cruce ipsa pro me mortuum, magno affectu petendo vt per suæ mortis merita, hæc mihi penitùs animum penetrent,

trent, & ad seriam mutationem propellant. Idque etiam per B. Virginem & sancta patronorum suffragia postulabo.

Pater Aue.

Exercitium de Iudicio priuato.

Oratio præparatoria more solito.

PRimum præludium. Rem ipsam mihi repræsentabo, quo nimirum anima mea statim vbi vinculis corporis soluta erit, coram iudice suo Christo Domino comparebit, vltimam ab eo sententiam auditura.

Secundum præludium. Deum rogabo vt mihi lumen cœleste & gratiam conferat, vt possim seriò apprehendere quæ tunc mihi euenient, & aggredi quæ tunc me fecisse optabo.

Primum punctum. Erit in memoriam reuocare quæ de animæ à corpore separatæ statu fides & sancti patres docent. Primo quidem accipit nouum quendam & inusitatum modum cognoscendi sine corpore, per quem tota eius vita, & minutim singula & verba & cogitata ei repræsentantur, velut in tabella, penetrat quid sint res creatæ omnes, denique statum suum præsentem, & nouam rerum suarum faciem agnoscit, & se coram suo iudice quem præsentem videt nudam, solitariam, desertam ab omnibus cum solis bonis & malis operibus apprehendit.

Secundò

Secundò hinc oritur longè aliud iudicium de ſuis rebus & omnibus creatis & externis bonis, quàm cum eſſet in corpore. Tertiò voluntas eius mutatur, nam euaneſcit omnis boni creati amor, & eius loco ſolum remanet pondus illud & inclinatio quam habet vehementiſſimam, & incitatiſſimam in Deum vt finem ſuum, quæ ſublato corporis impedimento, tanta vi illam rapit vt iam vix retardari & retineri poſſit quin vniatur ei ſine ingenti violentia, & proinde moleſtia & afflictione grauiſſima quam de facto patitur, quando ob mortalis vitæ imperfectiones ab illa vnione impeditur. Ex hoc principio conabor deducere concluſiones practicas, quibus voluntatem meam impellam vt ſuam cæcitatem defleat, quod quaſi carneos tantùm oculos habuerit, ea tantùm hactenùs cogitarit quæ ad præſentis vitæ ſtatum pertinent, & tot ſibi per tam crebras imperfectiones quaſi ferrea vincula iniiciat, quibus à Dei vnione tunc impediatur, & per amorem creaturarum illud pondus in ſummum bonum retarder.

Secundum punctum. Erit memoria repetere, quæ de ipſo iudicio fides docet, nimirum ſtatim poſt mortem ſiſtendam animam coram Chriſto Deo & homine qui nunc quidem amabiliſſimus, & ſui ſanguinis pretio largiſſimè donato beniгniſſimus eſt Redemptor; at verò tuns iudex iuſtiſſimus exactam rationem depoſcet ab ipſo primò momento vſus rationis, ad vltimum vitæ inſtans de minimis cogitationibus & verbis etiam otioſis, operibus, & omiſſionibus, de finis intentione ad quem creati ſumus, & de mediorum tam ſupernaturalium, quam naturalium quæ nobis conceſſit,

conceſſit, vſu neglecto vel abuſu. Ex hoc principio viuâ fide apprehenſo, reflexis in ſtatum meum internum oculis, ratiocinabor quanta mihi eſſet ſecuritas, ſi hæc diſcuſſio iam fieret à Chriſto. Nã quomodo dies, menſes, annos tranſegi, quàm incuriùs mei finis, ſalutis nempè & perfectionis conſequendæ, quàm negligens in vſu mediorum ſupernaturalium, quàm effuſus in abusũ mei & creaturarum per tot & inutiles & malas cogitationes, verba & opera quæ in ſtatera diuini iudicij reprobabuntur, quàm multa peccata puto me per pœnitentiam & Sacramenta deleuiſſe, quæ fortè manent adhuc ſaltem quoad totum pœnæ debitum. Ex quo diſcurſu excitandi affectus ſancti timoris Dei, confuſionis, propoſiti proſpiciendi vitæ meæ & præteritæ & futuræ, vt ſecurior ibi poſſim comparere.

Tertium punctum. Erit in memoriam item reuocare quam ſententiam prolaturus ſit iudex: ſi enim tam ſeuera erit diſcuſſio, certum eſt quod ſententia iuſtiſſima erit, definitiua, immutabilis, & incredibili quadam efficacia ab ipſo iudice pronunciata, & intimata animæ, quam proinde certum eſt ingenti horrore concutiendam & grauiſſimis ſuprà quam credi poteſt anguſtiis comprimendam, quod enim maius pondus eſſe illi poteſt quàm audire, & colluſtrante diuino lumine clarè intelligere, quam de illa Deus habeat vltimam æſtimationem, & iudicium præſertim cum exigentibus peccatis & negligentiis videat, ſe minùs eſſe illi gratam & acceptam & ideò arceri & retardari ab vnione ſtrictiori cum illo in quem vt in centrum ſuum tam vehementer fertur. Ex hoc enim principio ratiocinabor

mihi nunc dandam esse operam vt me iudicem, & sententiam crebro contrà me feram, præueniámque & leuiorem reddam illam quæ tunc pronuntianda est, tum vt per vitæ perfectionem me Deo vniam, vt me seueritas illius sententiæ eò minùs percellat, quò me minús ab illo separabit.

Quartum punctum. Erit in memoriam itidem reuocare, ita latæ sententiæ executionem citam, rigorosam, exactam. Nam misera anima suis inimicis tradita, & subiecta eorum potestati in infernum trahetur, vel ducetur in purgatorium, vbi pōderanda pœnæ damni grauitas: intolerabile enim erit vel ad vnum momentum Deo priuari, quanto magis ad multos annos, aut si ita res ferat in æternum. Pœnā autem sensus quis asse qui satis potest, vbi tunc bona omnia mundi, & cōmoda vitæ quæ ita mortales consequuntur, vbi mala & commoda quæ iam refugiunt. Ex hoc principio deducam, vt priùs conclusiones practicas quibus voluntatē stimulabo ad exequendum contrà me rigorem iustitiæ, ob peccata pristina & renūciandū omnibus vitæ pompis & vitæ commodis, aduersa quæque & dura sustinenda & igne tum charitatis tum mortificationis purgandam exactè animam meam ab omnibus inordinatis affectionibus, vt nihil in ea purgandū remaneat, nihil quod à Deo me separet vel ad momentum.

Colloquium pro affectu, vel vt suprà in Exercitio de morte.

Pater Aue.

Præparatio

Præparatio ad Mortem & Iudicium vice repetitionis.

PRimum præludium. Audire Chriſtum Dominum ſæpe nos commonentem de hora hac. Mathæus 24. Eſtote parati quia quâ horâ non putatis filius hominis veniet. Vigilate quia neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit.

Primum præludium. Petere à Domino Deo vt rē tanti momenti, quanta eſt bona ad mortem præparatio, cum ſit ſingulare eius donum, pro ſua pietate infinita impertiri dignetur, ne mors nos aut imparatos occupet, aut malè paratos.

Primum punctum. Conſiderare quod cum præparatio ad mortem & iudicium hoc ſit actus excellentiſſimus prudentiæ Chriſtianæ & ſupernaturalis, ad eam requiritur præter Dei auxilium hominis conatus quo intima Dei gratiæ luce perfuſus apprehendat horam iſtam mortis, provt ſibi contingere poteſt, tunc enim ad eum finem rectè conſtituit media. Quare prima præparatio eſt, vt intimè concipiat animo quid ſibi velit, *mori*: Mori duo continet quæ exprimit Iob. Homo cum mortuus fuerit nudatus atque conſumptus, vbi quæſo eſt? Primum eſt priuatio vitæ huius, id eſt inferioris mundi & omnium locorum, vrbium, regionum, Collegiorum, item omnium hominum, actionum huius vitæ quibus vel peccare vel mereri poſſumus ac Deo ſeruire, vt

ministeriorum licet vtilium Ecclesiæ Dei etiam in medio cursu,&c. Denique à corpore separatio eiusque consumptio. Secundum est transitus ad alterã vitam eámque æternam fœlicem vel infœlicem, sed quàm incertam! Conabor eam mei mutationem pro certo futuram apprehendere, & petam à Deo vt in eũ finẽ sua me continuò luce perfundat. Nam ex eo principio facilè multas conclusiones practicas eliciam quibus me totâ vitâ ad mortem præparabo.

Secundum punctum. Ex posito principio deducere, conari me omni studio debere, vt anima mea in eo puritatis gradu continuò perseueret, vt in momento quo migrabit, nulla sit labes ob quam à beata vita excludatur in æternum; In eo enim summa rerum est: ecce venio sicut fur; beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videat turpitudinem eius. Apoc.6. Quare scrutabor conscientiam meam, & si quid sit, non tantùm meas rationes ita componam vt securus sim, sed statuam ita viuere, vt quantùm licuerit, semper me extra periculum & dubium ponam; possum enim subitò mori, vel de sensu mentis deiici, vel vsu sensuum priuari, aut vi morbi impediri, aut iusto Dei iudicio ob meam ingratitudinem eo gratiæ auxilio quod in hora mortis ad res meas in tuto collocandas esset necessarium, destitui, si eò vsque differam. Quare me omni ope à peccato conseruabo immunem: quod si quam fortè labem contraham, eam statim eruam, ac sincero examine, dolore, & lachrymis nulla in re mihi parcens, & suo etiam tempore confessione accurata perinde ac si ea vltima esset, rogabo Deum vt mihi det gratiam,

vt actiones meas quotidianas & sermones disponam in iudicio, nullámque abire sinam quam non defleam.

Tertium punctum. Cogitabo non tantùm eluendas esse culpas peccatorum vt in tuto me collocem, sed statim mihi esse faciendos fructus dignos pœnitentiæ ad satisfaciendum pœnis tot & tantorum meorum peccatorum; Nam quam parum hactenus pro illis satisfeci, quantum mihi soluendum restat, & quàm mihi facilè est quotidianis vitæ Religiosæ laboribus feruoréque charitatis ignem illum cui ad multos annos fortè tradendus sum, vitare.

Quartum punctum. Perpendam quod magnam & securitatem & consolationem sim habiturus in ea hora, si quæ mihi tunc relinquenda sunt, maturè dum viuo, reliquero. Itaque concludam mihi toti mundo esse moriendum & mihi ipsi. Quare statuam omnia externa bona & oblectationes hominum, item vanos fauores, amicitias, honores contemnere, iis etiam me priuare, quæ alioquin licita & honesta esse possent, imò optabo multas tribulationes ac miserias in hac vita, studebo mortificationi sensuum, & corporis, & propriæ imprimis voluntatis & iudicij. Nam non omnes qui mihi dicunt Domine Domine intrabunt in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei: quam securus esse animo poterit, qui dicere poterit, quidquid egi, quicquid volui Domine tu iussisti. Ergo Deo soli viuere incipiam, cui in æternum sum victurus.

Quintum punctum. Multum consolationis afferret in eo transitu firma fides, charitas, & hu-

militas. Quare multùm proderit in vita diu multúmque versatum esse. Primò, in meditatione mysteriorũ fidei, cum alta & magnifica eorum æstimatione, pióque voluntatis affectu; Secundò, in iis cogitandis quæ ad spem & fiduciam de Deo concipiendam excitare possunt: qualia sunt Christi Domini vita, passio, merita, Beatæ Virginis patrociniũ, &c. Tertiò, in amore & mutua coniunctione & familiaritate cum Deo, & Christi imitatione. Quartò in retundenda fiducia, quàm de nostris bonis operibus solemus concipere, & comprimenda nimia æstimatione nostri, & occulta præsumptione, id quod assequemur per nostri cognitionem. In his si ita seriò versatus fuero in eo transitu mihi opportunè subuenient, ècontra difficile mihi erit ea arma eo momento & acquirere & bene tractare, quibus raro vel vix vnquam antea bene vsus fuero.

Sextum punctum. Mihi reuocare in memoriam mortem aliquorum Sanctorum, verbi gratia sancti Ambrosij, Martini, Hilarionis, & aliorũ quos fortè vidi morientes, & ex iis omnibus quæ ipsi in ea hora gessère formam aliquam ac veluti exemplar bonæ ac piæ mortis mihi in animo fingam, & statuam meã vitã ex hoc tempore ad eam aptare, Deúmque sæpe rogabo vt ad eũ modum velit me è vita migrare, & idẽ petã à Beata Virgine frequenter, præsertim cum recitabo Rosarium ad illa verba, nunc & in hora mortis nostræ, Amen.

Pater Aue.

Exercitium de Iudicio generali.

Oratio præparatoria eſt qua petimus gratiam, &c.

PRimum præludium. Eſt vallis Ioſaphat iuxta montem Oliueti imaginaria conſtructio.

Secundum præludium. Eſt petitio gratiæ ad cognoſcendam ſupremi Iudicis iuſtitiam, vt hinc concipiam dolorem & odium peccatorum cum firmo propoſito illa non ampliùs admittendi.

Primum punctum. Iudicium eſt ineuitabilis ſententia à iuſtiſſimo iudice Chriſto Ieſu legitimè ferenda in malos omnes vt puniantur, & pro bonis vt prœmiis afficiantur iuxta ſingulorum merita.

Secundum punctum. Præcedent iudicium ſigna, in cœlis, in elementis, & in hominibus areſcentibus præ timore & expectatione eorum quæ ſuperuentura erunt, & varia ſubinde ſentientibus quoad mores & doctrinam, Antichriſto aduenięte, qui omni cura operaturus eſt, vt, ſi fieri poſſet, in errorem inducantur etiam electi, ſuccedet ignis conflagratio inexpectata, terribilis, nemini parcens, efficax, cuncta deſtruens: omnia enim, vt ait S. Bernardus, igne diſſoluenda ſunt.

Tertium punctum. Reſurgent homines omnes ex omni orbis parte in iuſſu & voce Archangeli, & in tuba Dei quam S. Hieronymus, ſiue

manducaret, siue biberet, audire sibi videbatur sonantem horrendum illud, Surgite mortui, venite ad iudicium. Secundò congregabuntur omnes boni malique in valle Iosaphat, Tertiò, separabuntur mali de medio sanctorum, Angelorum ministerio. Quartò, tantus horror ac timor sententiæ ferendæ inuadet iniustos, vt amaturi sint latebras, & dicturi montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos; item montibus & petris, cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni.

Quartum punctum. Primò, adueniet Christus Dominus cum potestate magna & maiestate, comitante illum Angelicorum agminum multitudine copiosa. Secundò, parebit signum filii hominis in cœlo. Tertiò, plangent omnes tribus terræ cum videbunt ipsum iudicem iratum, paratúmque ad puniendum mala ab ipsis patrata.

Quintum punctum. Primò, examinabuntur minutissimè peccata omnia mortalia, venialia, propria, aliena, manifesta, occulta, cogitationes, operationes, verba etiam otiosa. Secundò, exigetur ratio beneficiorum, munerum obitorum & talentorum, iuxta parabolam Christi seruatoris, ita vt cui plus datum est plus ab eo exigatur. Tertiò, cumulabunt accusationes Angeli, propria conscientia coram omnibus patens, & Dæmones. Præsto enim aderit aduersarius Diabolus, inquit S. Augustinus, & recitabuntur verba professionis nostræ & obiiciet nobis in faciem quicquid fecimus, quâ die peccauimus, & quo loco, & quid boni tunc temporis facere debuimus. Quartò, fiet comparatio eorum qui maiora accepere cum infidelibus & peccatoribus qui

magis

magis profecissent si talia à Deo dona accepissent: iuxta illud Christi. Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Quintò, feretur sententia in reprobos, ite maledicti in ignem æternum, &c. Et pro bonis & electis: Venite Benedicti Patris mei percipite regnum &c.

Colloquium fiet iuxta affectum, terminabitúrque totum exercitium oratione Dominica.

Pater Aue.

Exercitium de Inferno.

PRimum Præludium. Est loci cuiusdam profundissimi cum sua longitudine & latitudine, sine aëre aut lumine, imaginaria constructio.

Secundum Præludium. Petere à Deo gratiam, qua intimè pœnas inferorum apprehendas, vt supplicij timor saltem te in officio contineat & à peccatis coërceat.

Primum punctum. Vt cognoscere valeas quanto odio seuera Dei iustitia peccatum prosequatur, cogita quibúsnam pœnis illic damnati cruciantur, simúlque omnes mentis neruos ad id contemplandum applica, miserorum fœditatem intuere, flammas quibus vndique vestiuntur, circumspice, audi eorum eiulatus, vociferationes atque blasphemias, huius infandi loci graueolentiam olfactu persentisce, eorum fel amarissimum, & rancorem gusta, tange illius inextinguibilis ignis

ignis ardotem,frigoris aſperitatem, infinitos denique cruciatus quibus inibi torquentur, recordare verborum diuitis illius Euangelici clamantis, pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma; apprehensâ hac veritate voluntas in has affectiones prorumpat. Primò, puritatem & ſanctitatem iuſtitiæ diuinæ verearis quæ nobiliſſimis creaturis non parcit, ſed eas ita ſeuerè damnat. Secundo, ineffabilem etiam peccati malitiam, quæ tantopere Deo exoſa eſt, admireris. Tertiò, Deo gratias age quòd licet ſæpe idem ſuplicium merueris, te tamen ad hunc vſque diem ſumma pietate ſeruauerit. Quartò, firmiter proponas te omnium tribulationum genera libenti animo toleraturum,cum plura pro peccatis merueris.

Secundum punctum. Qualitates pœnarum iam dictarum expende, vniuerſales ſunt totúmque corpus cum anima dolorem ſuſtinet. Secũdò, innumeræ quoque ſunt, ita vt omnem morborum huius vitæ numerum ſuperent ſine vlla conſolatione. Tertiò,& abſque vlla vel minimi ſubſidii ſpe in æternum durant. Ex hoc principio quid agendum ſit inſpicias, ſimúlque has concluſiones elicias. Primò, tuam ſtultitiam præteritam & peccatoris qui ita ſe peccato coinquinat admirare, cum tamen in tantum periculum incidat, vtinam ſaperes & intelligeres, & nouiſſima prouideres! Secundò, Deo gratias age qui te ad hunc vſque diem ab his pœnis liberauit, & aditum ad æternam paradiſi gloriam patefecit. Tertiò,pporone te non ſolùm mandata exactiſſimè

ſeruaturum

seruaturum, sed etiam curaturum vt eius consilia serues, licet multa ad id sint perpetienda, quandoquidem harum pœnarum æternitas quæ tuis peccatis debita erat, in temporalem religionis tribulationem commutata sit: quid damnatus quæso, ageret, si liber ab inferno tuo loco destinaretur.

Tertium punctum. Recordare has pœnas in hora mortis animæ in peccato mortali existenti præparatas esse: verùm omnes homines qui modo viuunt licet optimè sint dispositi, & sanctissimam vitam degant, incerti tamen sunt quænam hac horâ conscientiæ futura sit dispositio, & consequenter quòd æternis poterunt addici suppliciis. Scimus infœlicem Apostoli ruinam, Salomonis, Origenis, aliorúmque grauissimorum virorum exitum non nescimus. Quotidie stellæ de cælo aut religione aut Ecclesia decidunt, denique lata est via quæ ducit ad perditionem. Vi huius principij voluntatem ad hos affectus inclina. Primò, timorem concipe ne licet in statu perfectionis innumeris gratiarum donis illustratus consistas, officio desis, profundissimè te demitte, de propriis viribus diffide, & in apertas diuinæ misericordiæ manus te coniice. Secundò, propone fore vt optimè diuinæ gratiæ dono vtaris, in particulari verò iis quæ & maioris sunt momenti, & sæpiùs negligis. Tertiò, firmiter statue te magna cum perfectione in obsequio Dei victurum, tepiditatem propríam debellando, nimiósque defectus vitando, cum vita tepidè transacta multos ad infernum detrudat, qui tamen perfectionem profitentur: certè si à plerisque damnati

natis quærere licitum eſſet, quare in grauia peccata incidiſſent, quibus in barathrum detruſi fuiſſent? reſponderent quod nimiam in perfectione aſſequenda tepiditatem, & in minimis defectibus vitandis negligentiam attuliſſent.

In Colloquio. Renouatis prædictis affectibus actione gratiarum timoréque boníſque propoſitis à Deo petes gratiam quâ bonis tuis operibus ſalutem tuam in tuto collocare poſſis.

Pater Aue.

De Peccatis venialibus.

PRæludium Primũ. Pone tibi ob oculos hominem non mortuum quidem, ſed multis implicitum vinculis, plurimis ad hæc debilitatum morbis, vulneribúſque confoſſum.

Præludium ſecundum. Pete lumen à Deo quo ſtatum animæ tuæ videas hoc ſtatu longè deteriorem.

Punctum Primum. Cogita veniale peccatum reuera Deum offendere & tam atrociter vt totius mundi ſalus nunquam licitum faciat vel vnicum: ſancti vel fato functi, vel viuentes adhuc in terris certum potius capitis & famæ diſcrimen adirent quam vnicum deliberatum admitterent. Enimverò cum Dei voluntate pugnat, maieſtatem abiicit, potentiam ridet, laceſſit iuſtitiam, irritat bonitatem, virtutes denique diuinas omnes impugnat eiúſque gloriam impedit & minuit; itaque quamquam eius amicitiam non abrumpat, diſſuit tamen, & ardorem illum ſacrum imminuit ſenſim atque debilitat. Primum enim caſtos amplexus

plexus impedit quibus Deum ſtringeremus niſi creaturæ nos ad ſe raperent ; deinde ſecuritatem adimit qua de diuino in nos, viciſſimque noſtro in Deum amore certi ſumus : quare ſicut qui piè viuunt atque religiosè, miras ardoris huius faces experiuntur ; ita qui plerumque venialiter peccant has ita deferueſcere ſentiunt, vt meritò dubitare poſſint, num penitùs extinctæ ſint : itaque pacem animi perdunt qui primus eſt atque præcipiuus amicitiæ diuinæ fructus. Tertiò, Deus arcana ſua tepidis & imperfectis non communicat nec illi Deo ſuas miſerias enudant : écqua enim fronte cor offerent Deo, creaturarum amore pollutum ? Quartò, nec illius modi anima ſe totam Deo, nec illi ſe Deus totum committit : ſeponit hæc enim partem ſui, vitæque ac operum, quæ clam aliis elargiatur. Quintò, nec Deus confidit ipſi, neque negotia magni momenti credit, non probatur ægritudinibus, nec arduis vllis operibus admouetur : nouit enim ille huius ignauiam, vt hæc ſuæ conſcia infirmitatis illi nequaquam innititur. Sextò denique quo ſe magis anima ſeiungit à Deo, ſuíque iuris nimium tenax ſeſe in Dei gloriam non profundit, eò minus liberalem experitur Deum ; non conſuetos ipſi adiicit oculos, ſed vulgari fouet prouidentia, ægrè & raro loquenti reſpondet, parciùs elargitur theſauros, ſenſim ſubducit lumina pióſque motus quibus ad opus bonum incitatur, quibus deficientibus amare diu non poteſt.

Hæc vbi attentè perſpexeris, elice concluſiones aliquas practicas quæ voluntatem tuam accendant.

Primò, concluſionis, quod tam parùm hacte-

nus

nus Deum amaueris quem toties offendisti. Quis enim filius amare patrem crederetur quem sic affaretur. Mi pater interficere te quidem nolo, sed cædere ac pulsare. Secundò, admirationis quòd tam multa peccata eius iram non accenderint. Tertiò, doloris, quod iisdem diuinus sit in te imminutus amor. Quartò, propositi, quòd dæmon potiùs eliciet à te vitam quàm consensum in veniale deliberatum.

Punctum secundum. Diligenter inspice damna quæ peccatum veniale parit: singula persequi infinitum esset, iis insistere poteris. Primò, inducit maculam quæ pulchritudinem animæ deterat, quoties enim offendisti venialiter, toties animæ tuæ vultum sordibus illinisse puta: quod enim est in vultu lutum, vel scabies, vel vlcus, vel cicatrix, vel lippitudo, vel enormis tumor, hoc est in anima veniale peccatum, itaque cum sic peccas finge te preciosã vestem amurca inquinare, pulcherrimam imaginem inficere luto. Et vero si sponsam maritus ægrè videt sorditatam, Deus animam nostram veniali crimine infectam difficiliùs adit; secundo adimitur spiritualis fulgor quo illustratur anima, id aduertunt qui se se peccatis irretiri sinunt frequentibus, videlicet se in Dei virtutis, suíque cognitione cœcutire.

Quare animam hominis ita se gerentis cubiculum reputa, quod puluis aut fumus oppleuerint, in quo vero sanis oculis durare nequeas Deus lumen est: ita ne verò cum tenebris staret? tertio vitam non adimit, sed sanitatem & robur; quo fiet vt qui sæpe venialiter peccet, nihil aut parum sit de perfectione sollicitus, amoréque diuino:

quapropter

quapropter comparari ſolet cum capitis aut ſtomachi vel colicis doloribus, aut podagra, vel eiuſmodi morbis qui mortem ex ſe non procurant quidem, ſed ita vires infringunt hominis, vt ſuperuenientis febris aſſultibus imparem reddant: Hinc dicitur venialia peccata ad maiora ſcelera viam ſternere, ſiue quod peccantem ad creaturas inclinent, ad quas facilè contingit grauis lapſus, ſiue quia gratiarum riuulos auertunt, quos negligentia, & ingrati animi labes exſiccant. Quartò, ardorem pietatis ſopit, quo deferueſcente bona opera deſeruntur, retunditur rerum diuinarum ſopor, iugum Dei alias leuiſſimum graue creditur & intolerandum, pedéſque antea ad perfectionis viam decurrendam leues, inſueto ſtupore torpent, nempè ſtygio quaſi ſucco actiones omnes noſtras Dæmon inficit, ne cum voluptate fiant: hinc negligentia negligentiam parit, quæ ſenſim virtutem reddit inſipidam; animáque olim facilis ad concipiendas amoris diuini faces, eas vel omnino reſpuit, vel admittit ægerrimè. Quintò ſic intelligentia cæcutiente vel ſtupida vel negligente, gratiiſque ſubtractis, ſine quibus nec partis inferioris motus aſſiduos reprimere, nec diu in virtutis tramite ſtare poſſumus, quid mirum ſi anima magnis tentationibus concutitur, tandémque ſuccumbit Dei gratia deſtituta? Sextò denique, quamquam nullum aliud in veniali ſubeſſet malum, proximo nocet, dũ prouocatur exemplo; Deum fraudat gloria quam ex bonis operibus expectat; eiuſdem gratias inanes reddit & inutiles.

Hæc vbi damna excuſſeris, & deprehenderis in te, elice ſequentes affectus.

Primò

Primò, deteſtationis tanti mali. Secundò, ſtuporis quod te hactenus tam parũ affecerit. Tertiò, humilitatis vbi tot in cõſcientia tua peccata obſeruaueris. Quartò, propoſiti ſubeundæ cuiuſlibet potius calamitatis, quàm peccandi venialiter ex deliberatione.

Sextum punctum. Damna perueſtiganda ſunt quæ propter peccatum veniale in altera vita manent. Hoc enim iuſtitia diuina certò puniet, & ſi maximè volet pœnas remittere non poteſt, niſi à ſe peccator illas viuus exegerit: his enim charitas ſatisfacit & alia opera virtutis, quæ remedia ſunt certiſſima: item & afflictiones quas ſponte ſubimus, aut à Deo miſſas libenter accipimus. Porrò alterius vitæ pœnæ ita ſe habent. Primò, anima detrudetur in obſcuriſſimum carcerem, adeóque diuina viſione priuabitur: quæ pœna dubio procul eſt maxima potiſſimùm ob impetum & pondus quo à corpore ſeiuncta fertur in Deum; quæ inclinatio longè vehementiùs illam impellit, quam lapidem ad centrum innata grauitas detrudit. Enimuero in amorem Dei exardeſcit quo non frui magnum amanti ſupplicium. Secundò, exuritur flammis iiſdem, quibus damnati torquentur: Sic enim praui amoris ſcoria debet excoqui, pœna vtique incredibili quæ cum nulla quæ à viuis toleratur, componi poteſt. Itaque ſic habe peccata venialia vel ignibus atrocibus poſt hanc vitam expurganda, vel in hac vita diuino amore conſumenda, ex quibus accuratè perpenſis in hos affectus prorumpes. Primò, timoris, quòd iuſtitia diuina tam atrociter in minuta quælibet peccata ſæuiat. Secundò, ſtuporis, quòd tanta inſit peccato veniali malitia, vt amiciſſimos Dei

Dei compingat in carcerem inferis vicinum, nec inde discedere patiatur, nisi prorsus absumpta sit. Tertio propositi satisfaciendi in hac vita, pœnitentiis & afflictationibus, quas ipse tibi vel Deus procurarit: nam in hac vita perexiguæ sunt, magníque meriti, quoties Dei causa tolerantur. Quartò denique propositi diligentissimè hæc peccata vitandi. Tum quia amori diuino repugnant, tum quia talibus pœnis peccatores obnoxios reddunt.

Colloquium fiet ad Christum Dominum ex cruce pendentem, quem orabis, vt quia suo sanguine peccatorum etiam venialium maculam abstergere debuit, eodem peccata tua eluat, cor tuum amore suo calefaciat, & te ab amore creaturarum plane seiunctum in hac vita, sibi crucíque suæ firmiter adstringat.

Exercitium de pœnitentia & eius fructibus ex Lucæ 13. Arborem fici habebat &c. qui textus est legendus.

PRimum præludium. Audire Chtistum dicentẽ. Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis.

Secundum præludium. Petere gratiam, vt ad illam vocem excusso torpore tandem incipiamus facere fructus dignos pœnitentiæ.

Primum punctum. Considerare quod cum essem arbor syluestris, & infructuosa, & despicabilis, & quoad omnia frutex inutilis, Deus maiestatis oculos in me coniecit, & ex sterili loco

in quo etiam deputata ignibus inferni arbor mala, transtulit in vineam societatis suæ, & insito mihi pretioso fertilique spiritu filij sui & Societatis admirabilibus planè modis per gratiam suam ad dignitatem prope diuinam extulit, méque totum in aliam prorsus arborem conuertit, infinita sua sapientia & bonitate eo fine vt fructus bonos facerem.

Secundum punct. considerabo quod ex ea parte eius mihi deinceps nihil defuerit, terra enim in qua me posuit, terra sancta est pretioso eius sanguine tam frequenti Sacramentorum vsu fœcunda, irrigata tot Martyrum cruore, tot sanctorum lacrymis, tantâ spiritus abundantiâ pinguis, vt arbores nutriat altissimas, pulcherrimas, fertilissimas, extendit palmites suos vsque ad mare,& vsque ad terminos orbis terrarum propagines suas, sita in eo cœli solique aspectu,vt diuinos influxus continuo recipiat, continuo cœli rore irrigetur, quibus omnibus accedit assidua superiorum cultura, & cura tum corporis tum animi, quantos ergo fructus fecisse me hactenus tot annis,par fuit?

Tertium punct. Perpendam an reuera aliquem fecerim, & reflexis oculis in pristinam vitam, loca in quibus fui in societate, personas quibuscum vixi, & officia quæ gessi, agnoscam parùm vel nihil solidi fructus retulisse, foliis plenum fuisse, studuisse tantum externis, placere aliis; habitum virtutum & religionis præ me tulisse, quasi hominibus solis, non Deo fructificarem, satis mihi fuit oculis mundi virescere, hoc in studiis meis, hoc in conuersatione mea cum aliis, hoc in vitæ religiosæ actionibus, & ipsa regularum obseruatione;

tione, hoc in orationibus,in quibus cum Deo parum sincerè conuersatus toties fui ; agnoscam, cum interim ignorarem, vel non attenderem Deum Maiestatis sæpe me intuentem, sæpe visitantem, sæpe frustra quærentem in me fructum, etsi aliquando sui aduentus & visitationis signum daret,nempe aliquam inspirationem melioris vitæ, contemnerem aut dissimularem.

Quartum punctum.Considerabo me non modo inutilem & infructuosũ fuisse Deo & eius gloriæ, sed tot imperfectionibus,quarum mihi sum conscius iniuriosum,quid tam mala arbore & palmite ingratius?

Quintum punctum. Ponderabo damna quæ ex mea tepiditate,& imperfectionibus oriuntur,nam non solum priuaui Deum magna gloria;Christum lætitia,mundum auxilio,exemplo domesticos,ipsã Societatem splẽdore,Superiores voluptate & ope, meipsum ingenti thesauro meritorum, sed etiam Deum ipsum affeci contumelia : Christi spiritum contristaui & cœlestes omnes,fœdando & labem societati aspergendo,& mundum & socios male ædificaui,& à Deo auerti,Superiores & patres spirituales mœrore compleui,vitam ipse miserrimam duxi,inter assiduas tum conscientiæ interiores,tum exteriores molestias.

Sextum punctum. Audire illam vocem Christi ita de me concludentis. Succidite ergo illam, vt quid etiam terram occupat ? & reuocare in memoriam quam multis tepidis religiosis id acciderit, vt dum viderentur arbores speciosæ hominum oculis ob talenta & dona, vel subito deiectæ sint Deo succidente, vel Deo maledicente aruerint, ne frustra illam sanctam ter-

ram acciperent, temporalia bona à piis fundatoribus ad Dei gloriam data, quibus alij poterant valde promouere Dei honorem, ad vanitatem tantùm & externam ſpeciem conſumerent.

Hanc ergo ſententiam iuſtiſſimam in me faciã, & cogitabo vt quid etiam terram occupo?

Colloquium fiet ad B.P.Ignatium vel Angelũ cuſtodem, vt vineæ huius cultorem, rogans primo vt pro me intercedat, dicátque quod cultor vineæ Domino: dimitte eam Domine etiam hoc anno, & fodiam circa eam & mittam ſtercora; ſiue ſuis precibus impetrando vt fodiat & mittat ſtercora, vt vitiorum meorum radices detegantur, & ab innata corruptione liberentur, ſiue per ſuperiores meos ad fundum vſque imas radices purgando, ad quas me paratum offeram: deinde conuertam me ad Chriſtum, vt iis conditionibus me dimittat hoc anno, cui offeram firmum propoſitum veræ & ſolidæ emendationis.

Pater Aue.

Ad contritionem ex amore.

PRimum præludium: Sum quaſi prodigus ille ad patrem rediens.

Secundum præludium. Petam lumen & affectũ ad cognoſcendam & deteſtandam meam erga benigniſſimum patrem ingratitudinem.

Primum punctum. Conſiderabo ſingula peccata à me commiſſa non ſolum Dei maieſtatis infinitæ

finitæ, sed etiam omnibus eius perfectionibus bonitati, iustitiæ, potentiæ, sapientiæ vbique præsenti ita esse contraria, vt debitam singulis gloriam, honorem & amorem detrahant, eas veluti pro nihilo habeant, ac proinde easdem etiam cõtra se prouocent.

Secundum punctum. Expendam Deum illum infinitæ maiestatis & bonitatis quem ita offendi esse meum creatorem, conseruatorem, gubernatorem, redemptorem, principium denique & finem meum, quem ego dum ita mihi benefaceret, dum me conseruaret, gratiam mihi suam offerret, & pararet æternam gloriam, impiè sic offendere non sum veritus, reddere illi malum pro bono, non sterilitatem solum, sed etiam inauditam malitiam animæ meæ.

Tertium punctum. Præterea beneficia cõmunia quæ à domino meo accepi dispiciam, & in particulari singularem amorem & curam quam mei gessit in omni vita, & primo antequam in hunc mundum venirem, cum sine vllo merito inter tot homines pereuntes, inter tot nationum millia, ideo solum condemnatarum, quod lumen fidei non receperint, ille me elegit & voluit inter suos annumerari, & inter eos qui in gremio Ecclesiæ nasciturì erant, & Apostolico lacte nutriri, & sanguine Christi ablui. Secundò, percurram annos, loca, itinera, habitationes, occupationes, personas, studia, officia, vbicumque fui versatus, animaduertendo quo pacto diuina prouidentia semper mihi necessaria prospexerit tum corpori tum animæ, tum temporalia tum spiritualia, quasi me solum curaret, mandans creaturis vt mihi vbique adessent, vt olim Apostolis, cum eos si-

ne sacco & pera mittebat Luc. 22.

Quartum punctum. Audiam eundem ipsum Deum de mea ingratitudine mecum conquerentem. Quid est quod vltra debui facere vineæ meæ animæ tuæ? Isai. 5. in charitate perfecta dilexi te Ier. 31. Ego sum Dominus faciens & formans te, ab vtero auxiliator tuus. Isa. 45. Expectaui autem vt vinea mea faceret vuas, & fecit labruscas, faceret iudicium & iustitiam, & ecce iniquitas. Es. 15.

Quintum punctum. Postquam meâ culpâ gratiam illam primam & sanctitatem baptismalem perdidi, non tamen abiecit Deus benignissimus protectionem mei. Nam à quot & quantis periculis animæ & corporis me præseruauit? Admirabor quomodo in tali periculo non sum mortuus, aut quomodo non incidi in malum insanabile, aut in hæresim, peccatúmue aliud incorrigibile, vt tot alij homines, qui vt iumenta computrescunt in stercore suo Ioel. 1. Quomodo occasiones peccandi certissimas auerterit, vires ad resistendum carni, mundo, dæmoni subministrârit, meos affectus sanare innumeris modis studuerit, ne infinita alia mala desiderarem aut sequerer, quâ misericordiâ me expectauit vsque ad hanc horam, & sustinuit adhuc toties peccantem, quanta cum patientia & amore distulit me castigare, dum ipsum offendebam, expectando meam integram & plenam conuersionem, vt me sanaret, ad æternæ gloriæ præmium, super me vigilans quasi mater tenera super dilectissimum filium.

Sextum punct. Animaduertam eumdem benignissimum Deum hanc mihi occasionem in

præsentia

præsentia per huiusmodi exercitia offerre post tot & tanta flagitia, vt si ex toto corde peccata detestans meipsum ad dignos pœnitentiæ fructus velim constanter conuertere, & vitæ mores donis & talentis diuinis congruentes efficaciter induere; sit ille paratus apertis vlnis tanquam optimus pater resipiscentem filium prodigum ad osculum pacis, & in viscera misericordiæ recipere meipsum.

Colloquium fiet pro affectu filialis contritionis, vt in eius domo non vt seruus, sed vt filius iam charissimus seruiam bono gloriæ eius in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus meis.

Pater Aue.

MEDITATIO

De filio prodigo Luc. 15.

Oratio præparatoria eadem quæ semper.

PRimum præludium. Proponemus ob oculos ex vna parte locum illum, vbi filius prodigus in summa egestate porcos pascebat: ex altera palatium in quo prodigi filij pater in affluentia rerum omnium cum suis versabatur.

Secundum prælud. Petemus à Deo vt nos in suam gratiam benignè receptos nunquam ampliùs à se recedere permittat.

Primum punctum erit, Considerare quàm dispar sit eorum conditio, qui longè à Deo recedentes, peccatorum sordibus, quasi porcorum siliquis pascuntur, & eorum qui à peccatis absoluti, gratiâ perfruuntur. Id autem faciliùs intelligetur ex iis, quæ de filio prodigo in Euangelio narrantur. & potissimùm ex illis verbis. (Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!)

Secundum punctum erit, perpendere filij prodigi confusionem, cum ex altera parte patris in se clementiam & liberalitatem, à quo portionem substantiæ acceperat, recordaretur, ex altera verò suā in patrem ingratitudinem animaduerteret. Quam confusionem tum maximam fuisse considerabimus, cum se squalore ac pannis obsitum coram patre sisteret, suúmque ac patris dissimillimum ornatum inspiceret. Hæc & alia partim ad nos tanquam filios, partim ad Deum tanquam parentem referemus.

Tertium punctum erit, attendere summam patris in filium benignitatem quē adhuc longe existentem videns, misericordiâ motus est, & accurrēs cecidit super collum eius, & osculatus est eum; sic nos Deus, cum adhuc longè absumus, intuetur & misericordia motus, auxilio suo præuentos benignè amplectitur, delictorúmque oblitus in gratiam denuò recipit: vnde merito coram illo humillimè prostratus, cū filio prodigo exclamabis, Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.)

Quartum punct. erit, considerare eò progressam esse patris benignitatem, vt ad se redeuntem filium non modo receperit, verum etiam pristinæ dignitati

dignitati reſtitutum ſtolâ primâ veſtiri, annulo inſigniri, calceamentis indui, hoc eſt gratiâ, cæteríſque donis ornari iuſſerit: Quin imo ad oſtendendã cordis profuſam lætitiã, vt vniuerſæ familiæ gaudium de vitulo ſaginato, è ſelectis armentis conuiuium inſtruxerit; quod quidem conuinium, rectè ſacram Euchariſtiam interpretabimur, vbi ſanctiſſimo Chriſti corpore & ſanguine reficimur.

Colloquium erit vt cum Deo loquens hanc tantam ipſius bonitatem in te alioqui indigniſſimum admireris, interrogando quid in te viderit, vt te tam benignè amplecteretur. Gratias igitur ſummas parenti optimo referes, petéſque ab eo, vt te tandem in domum ac hæreditatem ſuã receptum, nunquam ampliùs à ſe diſcedere patiatur.

Pater Aue.

De ſanctiſſimo Sacramento.

Oratio præparatoria de more.

PRimum præludium. Seipſum imaginari ad ſacram menſam accedentem, & dominum de cœlo ad ſacramentum deſcendentem ſtipatum Angelicis choris.

Secundum præludium. Petere à Deo viuam huius myſterij apprehenſionem, & intimam erga illud reuerentiam & deuotionem.

Primum punctum. Conari vt animo viuaciter apprehendamus præſentem Dominum. Primo

mò fides certiſſima id docet. Secundò, non minùs adeſt quàm ſi videretur. Tertiò, intuetur nos, cogitat de nobis, ſtatuit & diſponit; quis ſcit quales appareamus in oculis eius, quale iudicium, qualem ſenſum de nobis habeat, quanta nos oportet cum ſollicitudine aſtare tantæ maieſtati? Quartò, ſi viderem illum, quid facerem? quomodo me componerem? quid dicerem? faciendum nunc mihi idem, quando idem æque adeſt ac videretur.

Secundum punctum. Intueri illum formoſum in ſtola ſua, ſpecioſum forma, deſiderabilem Angelis, Deum & Dominũ meum beneficentiſſimũ, amantiſſimum, nobiliſſimum, cogitantem cogitationes pacis. Audire quid probabiliter dicturus eſſet nobis, quid loquatur, aut quid loqui illum nos iudicare conueniat.

Tertium punctum. Meminiſſe Virginis erumpentis in illa verba: ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum, & Regum procidentium, Simeonis accipientis eum in vlnas ſuas; quia viderunt oculi mei &c. Ioannis Baptiſtæ dicentis, Et tu venis ad me? Centurionis dicentis: non me reputaui dignum venire ad te, & Domine non ſum dignus; & Magdalenæ pedes oſculantis &c. & D. Thomæ exclamantis & dicentis, Dominus meus & Deus meus, imitari ſanctos hos. Tu es ipſe rex meus & Deus meus. O Domine quia ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Quartum punct. Cogitare quomodo me gerere oporteat cum tantum hoſpitem in domum meam introduxero, ſpectare adſtantes Angelos, & ex ipſis diſcere reuerentiam, & deuotionem,

æquiſſimum eſſe vt illum adorem, gratias ei habeã, veniam poſtulem, adducam ad ipſum omnes facultates meas, vt eas ipſe regendas ſuſcipiat, pro eius amore mutem mala conſilia, & iudicia, malos affectus, proponam meliorem vitam, &c. petam gratiam ſpecialem, &c.

Colloquium. Inuocabo diuinam opem, vt dignetur nobis Dominus in tanti myſterij ſuſceptione adeſſe, vt dignè ad illud mereamur accedere.

Pater Aue.

CAPVT XVI.

Ad contemplationem de regno Chriſti.

EXutis per primam hebdomadam inordinatis affectionibus, actualibus quidem effectu, habitualibus ſaltem affectu & deſiderio, incipimus quidem quærere in ſecunda, Dei voluntatem circa vitæ in poſterum agendæ directionem, & formam. Et quia hæc Dei voluntas & vitæ forma in Chriſto nobis propoſita eſt, non tantùm vt exemplari totius perfectionis, ſed etiam efficaciſſimo motiuo; idcirco B.P. hanc primam contemplationem poſuit, vt fundamentum alterius partis exercitiorum, & quaſi ſummam vitæ & operum Chriſti Domini. Continet nempe vocationem quamdam generalẽ ad Chriſtum ſequendũ pro cuiuſque ſtatu.

Notandum

Notandum verò eſt eam vocari de regno Chriſti,qui à cum Dei regnum in hoc conſiſtat, non vt ſimpliciter omnia ei ſubiecta ſint (quis enim poterit reſiſtere poteſtati eius (ſed vt rationalis creatura voluntariè & liberè ei prorſus ſe ſubmittat, illum cognoſcendo & amando, qui finis eſt eius;hoc Dei regnũ per rebellionem Angelorum,Adami & cæterorum hominum perturbatum & quodammodo diminutum. Ad illud ergo reparandum Deus ipſe homo factus eſt, vt non tantùm ſuo merito, ſed etiam exemplo reduceret hominem in finem creationis, à quo aberrauerat, atque adeo in ſuum amorem & obedientiam, eũque in ea ipſa natura humana aſſumpta doceret quomodo Dei gloriæ ſeruire vltro & liberè,eique omnia & ſeipſum poſtponere ,deberet. Ipſemet ergo rex æternus,factus homo,non potentiâ diuinitatis,ſed humilitate & ſubmiſſione erga patrem, nempe nouo modo ſuum regnum reſtituit in integrum,in cuius tanti & tam glorioſi operis ſocietatem atque negotij,vocat omnes homines vnumquemque iuxta gradum ſuum.

Finis ergo huius contemplationis eſt imprimis vt bene expendamus & apprehendamus, quis ſit finis miſſionis filij Dei in mundum, nempe Gloriæ regni Dei reparatio, quantáque ſit dignitas negotij ab eo ſuſcepti, id eſt procurationis gloriæ Dei. Deinde, quia in eius finis & negotij ſocietatem ipſe nos vocat,nos ipſos offeramus, illum vt ſequamur quàm perfectiſſimè poſſumus, ſerióque proponamus, omni alio ſcopo & fine iam damnato, nos & alios omnes Chriſti exemplo Dei gloriæ perfectè ſubiicere, quidquid demum tolerandum ſit : donec ergo intentio illa

diuinæ

diuinæ gloriæ tot peccatis à nobis commissis, inordinatóque creaturarum, & nostro ipsorum amore debilitata reparetur, sic vt nullum ei in posterum bonum anteferamus, sed omnia adeoque vitam nostram Christum imitando longissimè posthabeamus, expedit hanc contemplationem sæpius repetere. Est enim desiderium, Christum in finis intentione imitandi, fundamentum & 2.& 3.& 4.septimanæ. Porro videtur Dominus Deus suâ illâ quâ omnia disponit efficaci suauitate, hanc contemplationem B. Patri nostro sub similitudinem regis terreni subditos suos ad bellum euocantis inspirasse, vtpote militari eius ingenio & professioni accommodatam, quæ illud ad perfectè sequendum Christum pertraheret, vnde per eam videtur sese ad id determinasse: igitur ipsam quodammodo Societatem eâdē peperit, vel inchoauit, cum veluti in radice aut semine totam instituti nostri perfectionē contineat.

Contemplatio regni Iesu Christi.

Oratio præparatoria fiet more supradicto.

PRimum præludium, ad constructionem loci nunc erit, vt spectare nos imaginemur, Synagogas, villas & oppida, quæ prædicans Christus pertransibat, & sic de locis aliis.

Secundum prælud. Ad gratiam poscendam, pertinens in hac parte erit petere à Deo ne obsurdescamus vocante nos Christo, sed ad sequendum & obtemperandum prompti simus.

Primum

Primum punctum esto proponere mihi ob oculos humanum regem diuinitùs electum, cui principes & populi omnes Christiani reuerentiam, & obsequium præstare debeant.

Secundum punctum est, imaginari quòd audiam illum regem loquentem ad omnes subditos. In animo est mihi regiones infidelium vniuersas ditioni meæ subiicere. Quicumque igitur comitari me velit, paratus sit oportet non alio vti victu, vestitu, rebusque aliis quam me vtentem conspexerit, in iisdem quoque laboribus, vigiliis & casibus cæteris mecum persistendum erit, vt particeps fiat victoriæ & fœlicitatis vnusquisque, provt laboris ac molestiarum socius extiterit.

Tertium punctum est considerare quidnam respondere debeant regi amantissimo & liberalissimo fideles subditi, & quàm promptè ad omnem eius voluntatem offerre se accinctos, contra verò si quis non obaudiret, quanto apud homines vniuersos vituperio dignus esset, atque quam ignauus miles æstimandus.

Pars secunda huius exercitij consistit in collatione similitudinis inter dictum regem & Dominum Iesum Christum, circa triplex illud punctum.

Primo sic applicabimus exemplum, si terrenus ille rex cum bellica sua euocatione dignus est cui attentio & obsequium præstetur, quanto magis Christus rex æternus, mundoque toti rex conspicuus, qui singulos ad se his inuitat verbis? Mea hæc est iustissima voluntas, totius mundi dominium mihi vindicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in patris mei gloriam intrare,

intrare, proinde quiſquis eò mecum venire cupit, laboret mecum neceſſe eſt. Labori enim præmium reſpondebit.

Secundò, ratiocinabimur neminem fore ſanæ mentis qui non cupidiſſimè Chriſti ſeruitio ſe totum offerat & addicat.

Tertiò, iudicandum erit quod ij qui ſe obſequiis illius prorſus duxerint mancipandos, non ſeipſos tantùm ad laborum tolerantiam, verùm etiam maiora & præclariora munera oblaturi ſunt, expugnata carnis, ſenſuum, amoríſque proprij & mundani rebellione, vnde reſpondebit quiſque in hunc fere modum. En ô rex ſupreme ac Domine vniuerſorum, tuâ ego, licet indigniſſimus, fretus tamen gratiâ & ope, me tibi penitùs offero, meaque omnia tuæ ſubiicio voluntati, atteſtans coram infinitâ bonitate tuâ, necnon in conſpectu glorioſiſſimæ virginis Mariæ matris tuæ, totiúſque curiæ cœleſtis, hunc eſſe animum meum, hoc deſiderium, hoc certiſſimum decretũ vt (dummodo in maiorem laudis tuæ & obſequij mei prouentum cedat) quàm poſſim proximè te ſequar & imiter in ferẽdis iniuriis, & aduerſis omnibus, cum vera tum ſpiritus, tum etiam rerum paupertate, ſi inquam, tuæ ſanctiſſimæ Maieſtati placeat ad tale me vitæ inſtitutum eligere atque recipere.

Oratio

Oratio præparatoria & duo præludia vt ſuprà.

PRimum punctum ſit perpendere ſimilitudinem regis terreni per illa puncta quæ dicta ſunt.

Secundũ punctum. Quomodo Dei Filius Deus ipſe maieſtatis cœli & terræ Dominus & ſupremus omnium rex,cui omnia ſubiecta eſſe eiuſque gloriæ ſubeſſe debebant (in eo enim Dei regnum conſiſtit vt creaturæ rationales ei perfectè ſubiectæ ſint) cum homines iam inde ab initio defeciſſe,& ſuperba rebellione longe latéque ſuis legibus repugnare videret,ſtatuerit deſcendere in aciem , vt patris ſui ſuámque gloriam tanta hominum cæcitate & iniquitate obſcuratam ab iniuria vindicaret , & diuinæ maieſtatis notitiam ingereret,& ſic ſpiritualis ſui regni ſplendorem repararet.

Tertium punct. Conſiderare quemadmodum hunc diuinæ gloriæ finẽ,non tantùm totis 30.annis & ampliùs quibus vixit nobiſcum admirabiliter,& viuens & moriens procurârit,ſed etiam adeò efficacibus me exemplis incitârit, vt ego vilis ſubditus præeuntem meum regem ad talem finem per talia media ſequerer,& eiuſdem regni gloriam per eadem media procurarem , atque adeò eſſe vellem tanti operis ſocius,ac proinde ſimilis illi & conformis eius imagini.

Quartum punctum. Ponderare quomodo Dei beneficio vix ſciens quid agerem vocantem me

ad

ad illam formam, Christum sequutus sim, quando ad societatem veni, vbi perpendam vocationis modum & ordinem, & lumina piâque desideria quæ tum habebam, reuocaboque mihi in memoriam; & apertiùs cognoscens quantum mihi tunc Deus beneficium fecerit ex intimo affectu ei gratias agam.

Quintum punctum. Perpendam quomodo ex eo tempore ad hoc momentum non cessauit vocare me, quò me promiseram sequuturum, nempe ad eum finem per ea media, verum lentiùs sum secutus. Nam quantis absum spatiis ab ea perfectionis forma, cum tantum in me supersit veteris formæ, amoris proprij & mundani; conabor dolorem de tanta negligentia excitare.

Sextum punctum. Considerabo Christum Dominum me vocare hoc etiam momento vlteriùs, & in me reflexus perpendam quàm fortiter nouis me modis vrgeat quotidie per lumina, per inspirationes, per exempla aliorum; poterat meritò me eiicere vel vt seruum inutilem domo, aut segnem militem militia expellere; verum perinde ac si vtilis illi essem, ita me sollicitè inuitat, vt velim perfectè viuere & illi seruire: quare omni tergiuersatione abiectâ totum me illi tradam vt quam proximè illum sequar, & imiter, & firmissimè proponam in corde viuam eius imaginem imprimere, aut sculpere, per attentam vitæ eius considerationem, amorem feruentem, & virtutum omnium eius imitationem, vt viuam ego iam non ego, viuat verò in me Christus.

Colloquium fiet, affectu magno me paratum offerendo, vt illum perfectè sequar, & in eum finem percurrendo votorum formulam.

CAPVT XXVII.

De procuratione gloriæ Dei ad imitationem Christi.

PARAGRAPHVS I.

Quanta sit excellentia procurationis gloriæ regni Dei, ad quam vocati sumus.

PRimò non est seruile Dei gloriæ seruire, sed excellens quiddam & præcelsum, & ideo maximè sublimis & digna homine eius intentio. Est enim Dei gloria quoddam bonum, atque adeo res quædam bona. Nam quid Deo queat esse bonum, quod non sit etiam magnum ac diuinum bonum, imo verò infinitum? Etsi enim creaturæ ipsæ atque earum operationes, ex quibus Dei maiestas sui suarumque perfectionum notitiam manifestat, & ad sui amorem excitat, finitæ sint & exiles, ipsa tamen resplendentia diuinarum perfectionum, quæ inde resultat, est quid infinitum, sicut & diuinæ ipsæ perfectiones etiam extra Deum quodammodo sunt, opus enim creationis, verbi gratia, infinitam sapientiam, bonitatemque continet & commonstrat, ac proinde infinitum bonum gloriæ Dei, singulæ etiam hominis operationes, maximè supernaturales, & quæ ad salutem perfectionemque pertinent, thesauros bonitatis

nitatis eius & benignitatis, & sapientiæ detegunt, & exhibent diuitias gloriæ & gratiæ suæ Rom. 9.

Secundò. Quare Deus ipse in omnibus nullum alium finem habet quam seipsum, id est, gloriam & manifestationem suæ bonitatis, vt paulo ante dicebamus. Quòd si tanta sit huius boni excellentia vt dignum sit propter quod Deus omnia opera sua ad extra, siue naturalia, siue gratiæ, siue æternæ fœlicitatis creârit, certe nullum aliud dignum esse potest ad quod rationalis creatura intendere debeat, & ad quod sese totum, suasque omnes actiones & motus referre, nam quod illud esse potest?

Tertiò. Huic loco hæc maximè ratio congruit, quòd Dominus ipse maiestatis, cum eius gloriæ decus vellet reparare, & rationalem creaturam ad debitum suum amorem & obsequium liberè persoluendũ inducere, humanæ naturę infirmitatem, & miserias suscipere dignatus est, & pro infinita illa æstimatione sui honoris, exinaniuit semetipsum, vt quantum sit eius pretium, quantaque dignitas ex eius procuratione homini suo amore excœcato innotesceret.

Quartò. Accedit, quòd hoc est vnicum bonum quod potest ab homine Deo tribui. Est quidem ipse seipso plenus & bonorum nostrorum non eget, nec minus erit gloriosus; si nos nostraque ei negemus, quæ tamen est eius erga nos benignitas, quæ hoc extrinsecum gloriæ suæ bonum ita in nostra potestate esse voluit, vt liberum sit nobis eum variis modis procurare, quæ certè singularis est dignitas humanæ naturæ, vt ad idem bonum Deo tribuendum efficaciter

concurrat, quòd ſibi Deus ipſe tam admirabilibus modis in hac vita procurat,& in æternum à ſuis accipiet.

Quintò. Hinc ſequitur per hanc intentionem nos fieri maximè ſimiles Deo; ſimiles, inquam, non naturâ, ſed voluntate quæ ſimilitudo maximè laudabilis eſt,& in diuinam nos naturam velut transfundit.

Sextò. Adde hac intentione ſatisfieri præcipuè illi obligationi, quâ Deo obſtricti ſumus, ſiue vt tanti Patris filij, ſiue vt ſerui & mancipia tam excellentis Domini, ſiue vt creaturæ adeo munifici creatoris, ſiue vt ſubditi tanti regis. Hoc enim vnicum bonum eſt quod propriè filios decet velle parenti optimo, ſeruos Domino, ſubditos regi, & creaturas ſuo creatori. Nam quid ei tribuere poteſt homo? Eſt denique hoc bonum propriè obiectum amoris, quo Deum proſequimur, nam aliud bonum ei velle efficaciter non poſſumus.

Septimò. Præterea hoc bonum natura ſua finis eſt omnium bonorum, atque adeo eſt inſtar Oceani in quod alia omnia bona defluunt, nam eſt maximè commune bonum, atque adeo continens in ſe omnia bona, cum bonum omne ſiue vniuerſum, ſiue ſingulorum ab eo dependeat, & ad ipſum ordinetur, vt bonum partis ad bonum totius, ideo quidquid in rerum natura bonum eſt, ideo bonum eſt quia aliquid habet de eo bono,& eò quodque bonum maius eſt, quo plus de hoc bono habet.

Octauò. Denique ex hoc bono eiuſque intentione omnia noſtra bona promanant. Dici enim non poteſt quantæ ſint vtilitates intentionis glo-

riæ

riæ Dei; sicut namque ex eo quòd Deus hoc sibi bonum velit, nobis & naturam & gratiam & gloriam communicat, ita nos, eo quòd ei bonum hoc volumus, bona omnia necessaria naturæ & gratiæ & gloriæ efficaciter comparamus, etsi de nobis non cogitemus.

PARAGRAPHVS II.

Qualis esse debeat intentio gloriæ Dei.

DEbet habere præcipuè quinque aut sex conditiones. Prima debet esse vniuersalis, & sese tum ad vniuersum vitæ statum, tum ad omnes & singulas actiones nostras extendere. Nam debet sese homo totum Deo multis titulis, quare sollicitus esse plurimùm debet. Primum quidem, vt totam vitæ suæ summam in finem diuinæ gloriæ dirigat, &, omni alia intentione reiectâ Dei bono sese consecret Christi exemplo. Deinde vt ne vel minima vitæ eius pars, vel actio interna siue externa aliò spectet. Igitur siue naturales siue indifferentes sint eius actiones, siue supernaturales, siue solus secum quid agat, siue cum aliis, conari Christi Domini exemplo debet, vt quæque actio pro sua capacitate Deo plena sit, & in eum finem referatur, quem Deus ipse; dum vt prima causa & vniuersalis in eandem actionem influit, intendit; nimirum diuinæ maiestatis gloriam, quod assequi facillimum erit ei qui assuescit Deum frequenter contemplari in omnibus creaturis suis præsentem & operantem: id quod

noſtris eſſe cupiebat familiare B. P. Ignatius, nam tunc non eſt difficile & conatū ſuum & intentionem ſuam Deo principali agenti conformare, & in idem bonum ferri: Nec enim fruſtra monet S. Paulus. Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite; & ad Coloſſ. 3. omnia quæcumque facitis verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri facite, gratias agentes Deo, & Patri per Ieſum. Et ad Rom. 1. vt in omnibus glorificetur Deus.

Secunda, vt ſeſe ad omnes actiones extendat debet eſſe actualis, & ad ſingulas actiones, ſi fieri poſſit, applicari. Nam ſi ſit tantùm generalis intentio Dei gloriæ, & quodammodo habitualis, per ſe ne quidem ſufficit ad meritum. Quare ſi quis ſeipſum pridem ſuaque omnia in Dei honorem retulerit, ſi tamen ea intentio nihil influat in eius actiones, ſiquidem ſupernaturales ſunt, vt ſunt actiones virtutum infuſarum, ſuam honeſtatem & meritum habent, ſed priuantur acceſſione illius ſplendoris, quem ab actuali in Deum relatione acciperent; ſi autem naturales ſunt, certè nihil omnino meriti habent: nec enim, vt rectè docet ſanctus Bonauentura vt aliquod opus referri in Deum dicatur, ſatis eſt, ſi quis ad initium anni, vel etiam diei, intentione quidem generali referat ſuas omnes actiones eâ die futuras in Dei gloriam, ſed neceſſe eſt vt quoduis opus particulare intentio etiam particularis præcedat, atque adeo actualis vel ſaltem generalis illa ita virtute perſeueret & influat, vt quoduis opus particulare attingat, ſitque vera eius cauſa: vt cum quis ex generali intentione ſtudendi

ſtudendi ad Dei gloriam, eâ non mutatâ ſed aliquo modo influente, ſolet ſeſe applicare ad ſtudia ſuis temporibus, cenſebitur, etſi actu de Dei gloria non cogitet cum ſtudia aggreditur, referre illa in Dei gloriam, quæ virtualis intentio etſi ad aliquod meritum ſufficiat, tamen non eſt ita efficax vt actualis, quare poteſt ſæpe contingere, vt languidior ſit, eóque magis quò vel longiore temporis lapſu, vel acriori impugnatione contrariorum affectuum, virtus illa relationis antea factæ debilita fuerit. Quare ſæpe vel gliſcente occultè inordinato aliquo affectu, vel ſolâ voluntatis ſponte omittentis ſuas actiones in Deum dirigere, negligentiâ & ceſſatione, aut tollitur omninò, aut inficitur. Natura enim ſui iuris tenax & calidiſſima, parata ſemper inſtat vt actus ſuo inſerat, & proprium bonum quærat, etiam nos bis vix aduertentibus, & ſubinde exiſtimantibus ob priorem relationem matutini temporis, ſincerè Deum ſolum quærere. Itaque pereunt nobis infinita prope merita, & decor quidam actionum noſtrarum omnium, nec enim dubium eſt cum viget in animo purior illa Dei gloriæ intentio actualis, ſollicitari ab ea continuò voluntatem, vt & plura in eum finem faciat & maiora. Talis omnino fuit diuinæ gloriæ intentio in Christo Domino ab ipſo primo vitæ momento ad vltimum vſque nunquam intermiſſa.

Tertia. Debet eſſe ſumma appretiatiuè ſic vt pluris faciat etiam minimam Dei gloriam, quam quoduis aliud creaturæ vllius bonum, quatenus eſt ſolum bonum creaturæ, idque meritò expoſcit excellentia boni huius de qua iam diximus

ximus quod ſine dubio, etſi minimum ſit, eligibilius ſemper eſt omni alio, cum ſit bonum Dei atque adeo infinitum, & vt bonum totius quod pars quæuis proprio ſuo bono meritò anteponat. Quare cum in vnaquaque re & actione plura ſoleant bona inueniri, ad hanc conditionem pertinet, vt, ſi ſeparari à ſe inuicem queant & vnum aliud excludat, iis inter ſe comparatis, bonum gloriæ Dei præferatur propriis commodis, famæ, integritati, vitæ ipſi: ſi vero ita coniuncta ſint vt vnum aliud non excludat, voluntas tamen ipſa inter ſe componat, vt in re non tam ſpectet aliud quoduis bonum, quàm Dei gloriam; itaque dum cibo reficitur, dum honorificas functiones obit, non tam creatum ſibi illud bonum quærat quam Dei gloriam, ad quam illa actio velut ad vltimum ſuum finem à Deo ipſo dirigitur, ſine quâ ipſa creaturæ delectatio aut vtilitas non tantum Deo non placet, ſed etiam diſplicet. Hæc gloriæ Dei æſtimatio in Chriſto Domino fuit ſumma, cum ei ſeſe totum, ſuaque omnia, atque vitam ſubiecerit. Et certe diuina illa maieſtas quanti eam faceret ſatis declarauit, quoniam ad eius reparationem exinaniuit ſemetipſum & ipsâ prope ſuâ authoritate & diuinitate ſpoliauit.

Quarta: verum hæc tertia conditio erit perfectior ſi accedat quarta, vt intentio ſit puriſſima, id eſt nullam aliam ſecundariam intentionem boni cuiuſuis alterius adiunctam habeat; eſt autem varia impuritas intentionis. Nam primo quidem ita Dei gloriam intendunt, vt ſimul ètiam aliquod aliud bonum indirectè intendant; verbi gratia delectationem, gloriam etiam propriam

priam, vel quid ſimile; hæ ſecundariæ intentiones vix poſſunt eſſe ſine peccato, nam procedunt ex inordinato affectu boni creati, & poteſt nonnunquam tanta eſſe inordinatio, vt primariam intentionem diuinæ gloriæ deſtruat, & bonum illud creatum faciat principaliter intendi, atque adeo poſtponi ei Deum ipſum, eiuſque voluntatem & gloriam: facilè enim voluntas duo bona intendens ex vno in aliud ſe mouet: quod cum fit, dicitur voluntas finem vltimum in bono creato conſtituere, fitque non impura ex parte, ſed omnino abominabilis, ſicut ea quæ diligit. Quod ſi leuis duntaxat ſit inordinatio non tantum inficitur voluntas, ſed multum etiam debilitatur prima & principalis intentio gloriæ Dei. Quare S. Iacobus capite quarto monet; Purificate corda duplices animo; & capite primo, vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Nam ſecundariæ illæ intentiones cum ex inordinato affectu oriantur, tantùm detrahunt intentioni gloriæ Dei, quantùm affectus ille inordinatus corde diuiſo de Dei affectu detrahit. Et certe hinc multa mala naſcuntur; nam inde fit vt in electione & executione mediorum, id eſt, in omni pene operatione, voluntas ad diuerſos iſtos fines reſpiciat, ac proinde eligat media non tantum vtilia ad primum, ſed etiam ad alios. Quare ſiquod offeratur medium ad gloriam ipſam Dei, ſi tamen nihil habet vtilitatis ad alios fines, illud reiicit; ſicut ſi quis præfert Dei gloriam, etiam propriam intendit, licet Dei gloriam forte efficacius promouere poſſet cathechizando, tamen quia hæc functio non eſt vtilis adeo ad propriam gloriam, ideo concionari mauult.

Ex

Ex hac impuritate procedit omnis error in electione ſtatus, cum enim in ea ſpectare deberet quiſque vnicam Dei gloriam, ſæpe multa alia ſimul ſpectat ſaltem vt fines ſecundarios, vt voluptates, commoda, honores &c. vnde fit vt præferat verbi gratia ſtatum matrimonij conſiliis Chriſti vt medium & ad primarium finem ſufficiens, & aptum ad alios.

Secundò. Nonnunquam præter Dei gloriam intenditur bonum aliquod proprium ſeu honeſtum & ſupernaturale, ex quo ipſa Dei gloria reſultat: ſic enim ſæpe ex affectu ad bonum ſalutis & beatitudinis bona opera facimus, & inclinamus cor noſtrum in Dei teſtimonia propter merita, & gratiæ decus, & retributionem. Et hæc ſecundaria intentio etiamſi ſola eſſet explicitè, tamen alterã interpretatiuè includit. Omnia enim hæc noſtra bona in Dei gloriam per ſeſe redundant; non eſt tamen tunc formalis intentio gloriæ Dei, de qua propriè hic agimus; ſi autem formalis & explicita ſit vtraque, non aptè tantum cohærere, cum bonum hoc noſtrum ſit ſubordinatum gloriæ Dei, ſed etiam altera alteram corroborare poteſt; expedit tamen bonum proprium etiam ſupernaturale abſtrahere, & cogitatione, & affectu, ſaltem velleitate à bono Dei, & ita mentem affectumque componere, vt nihil ſolliciti ſimus de proprio bono, ſed in vnicum Dei bonum tota feramur voluntate, & cogitemus procuremúſque eius bonum, certi quod ipſe etiam de bono noſtro cogitabit; Nam ideo vtrumque bonum coniunxit vt ſcilicet dum volumus bonum noſtrum, etiam eius bonum velimus, eo tamen ordine, vt primariò bonum eius curemus, & veluti ex con-

ſequente

ſequente noſtrum, quo etiam ordine ipſe ſuam imprimis gloriam ſibi vult, & inde nobis bonum naturæ & gloriæ, tam vt media ad eam ipſam gloriam, quam vt amoris & amicitiæ quo nos proſequitur effectus. Hæc igitur eſt ſumma puritas intentionis huiuſce, cuius in Chriſto Domino illuſtre habemus exemplum, ad quam vt perueniamus planè requiritur magna abnegatio proprij cuiuſque boni, vt tradidit B. P. N. Ignatius de reformatione vitæ: nam ſi quis proprium bonum non reiiciat omninò, non poteſt purè intendere Dei bonum. Hæc tamen ipſa intentio boni gloriæ Dei ſolet multùm iuuare ipſam abnegationem: nam cum tanta ſit excellentia boni gloriæ Dei, magna ſane vi voluntatis affectum in ſe trahit, ita ſenſim eam ſeparat & abſtrahit à proprio quouis bono, acceſſus enim ad vnum terminum fieri nequit ſine receſſu ab alio. Quare ſanctus Auguſtinus ſermone ſecundo in Pſalm. 32. ait. Intentionem iuſtorum conari ad ſublimia per humilitatem.

Quintò, denique non tantum in Dei gloriam ferri debet hæc intentio vt ſit perfecta, ſed etiam in maiorem Dei gloriam, habet enim ſuos gradus. Nam fieri poteſt vt alicui ſit ſatis eam ſolùm intendere, quæ in eo conſiſtit ne mortaliter offendatur; alij præterea etiam ne venialiter. Denique poteſt à quibuſdam excellentiſſimè intendi, vt etſi nulla planè ſit Dei offenſa, tamen maior ac maior eius gloria in omnibus intendatur. Hæc conditio magni momenti eſt ad bonam mediorum electionem. Nam cum ſit maximè vniuerſalis hic diuinæ gloriæ finis, plurima etiam ad illum ſunt media: vnde ſi ſimpliciter

& in genere tantùm intendatur, vitalis intentionis voluntas non ſe applicabit efficaciter ad perfectiſſima & vtiliſſima media, ſed ſatis ei erit ſi vtilia quærat. Quare cui ſatis eſt aliquam Deo gloriam tribuere, & ſalutem conſequi, vi illius intentionis non applicabitur efficaciter ad Chriſti conſilia ſequenda, ſed poteſt ſtatum matrimonij amplecti, vt ſufficiens medium ad finem quem intendit, nec ita ſtudiosè ſuas actiones perficiet, at qui ſeſe totum & quamlibet actionem refert ad Dei gloriam, non quamcumque, ſed maiorem & maiorem, vi huius intentionis neceſſe eſt eum media quæque excellentiſſima complecti, & nulla in re ſibi, vitæque parcere, nec vllam etiam leuiſſimam actionem præterire, quin eam impleat bono gloriæ Dei quantum capax eſſe poteſt: verùm de hac conditione infra agendum pluribus erit, & declarandum in quo potiſſimum, ex mente B.P.N. & Chriſti exemplo, hæc maior, Dei gloria conſiſtat.



PARA

PARAGRAPHVS III.

De mediis ad Dei gloriam promouendam necessariis.

Ad sequentia vitæ Christi Mysteria.

AD illum finem eo modo promouendum non alia habemus quam proprias actiones, sicut enim Deus ipse non modo vel intrinsecam sibi gloriam quærit, quam internis operationibus; vel extrinsecam, quam extrinsecis, quibus opera naturæ, gratiæ & gloriæ molitur, ita nec possumus aliis eam mediis procurare quam nostris actionibus Deo ipsi cooperando; hæ vero actiones quæ immediatè tantùm finem attingunt, sunt intellectus & voluntas, quibus Deum cognoscendo & amando, eum in nobis glorificamus, & ad gloriam eius in alios etiam per externas actiones propagandam, vt nimirum illum perfectè & cognoscant & ament, incitamur & applicamur: verùm non potest intellectus & voluntas nostra adeo efficaciter, integrè, purè & sincerè hoc Dei bonum, quod in eius cognitione & amore consistit, prosequi, quandiu proprio bono plus æquo, cogitatione & affectu adhæret. Quare eæ actiones ad Dei gloriam procurandam planè sunt necessariæ, quibus à proprio quocumque bono abducimur, sic enim ab omni alieno amore abstracti liberiùs & puriùs in

Dei boni procurationem intendimus. Accedit quòd non poteſt eſſe tanta æſtimatio gloriæ Dei cum quid creatum vel proponitur, vel pari atque adeo inordinato affectu quæritur. In eo conſiſtit æſtimatiua perfectio amoris gloriæ Dei, quòd dum factâ collatione cætera omnia bona etiam vita propria cum illa comparatur, iis deſpectis & procul abiectis ad illam totis viribus procurandam incitamur. Quare Chriſtus Dominus cum nos ad altiſſimi huiuſce finis intentionem incitat, media etiam proponit in genere, & veluti in abſtracto, vt in prima contemplatione vidimus, nempe, labores, paupertatem, iniurias, quorum in tota vita, præſtantiſſima exempla præbuit, cum enim ad purum Dei amorem, ſinceramque gloriæ eius ſolius procurationem duo ſint neceſſaria; & impedimenta mundani ac proprii amoris remouere, & Dei gloriæ altioribus quibuſdam actionibus ſeruire, & ſcire hominem facilè decipi poſſe, ſi, vt fere fit, pro naturæ ſuæ impetu ad altiora illa fruſtra ſeſe, non amotis illis impedimentis attollat, ipſe vltro ſe ducem præbuit totius vitæ, & à primo conceptionis ſuæ momento exorſus ſeſe exinaniuit & à ſeipſo quodammodo longiſſimè abſceſſit, vt quanti patris gloriam faceret, ipſa exinanitione declararet, & ad eamdem iiſdem mediis promouendam ſuo nos exemplo inflammaret, quod in reliqua deinceps vita præſtitit: quamquam enim præſtantiſſimis charitatis internæ, religionis, & id generis virtutum actibus Deum glorificaret, longe tamen Deum eiuſque gloriam illuſtriorem effecit, quando in tota vita ab iis omnibus quæ amor mundanus vel proprius proſequi ſolet, vt ſunt diuitiæ, honores,
hominum

hominum æſtimationes , deliciæ , abhorrens , per iniurias, contumelias, opprobria , paupertatem, labores, Dei Patris ſui cognitionem & amorem toti mundo efficaciſſimè commendauit.

Ad hæc eadem ergo media eius exemplo vſurpanda,ſi verè finem diuinæ gloriæ intendimus, totius eius vitæ meditatio nos prouocat, quocirca in iis quæ ſequuntur exercitiis, quamquam etiam oculos in alias perſonas interdum intendere poſſimus , vt aliquid inde ſpiritualis vtilitatis in nos deriuemus, potiſſimum tamen quæ ad Chriſtum pertinent attentiſſimè conſideranda ſunt ; & eius facta, dicta, cogitationes , & deſideria ſingula accuratè diſcutienda , vt eius formam intellectus & voluntatis operatione in nobis imprimamus , atque ita Dei gloriæ ſeruire ſicut ipſe ſeruiuit,diſcamus.

Porrò ſicut contemplatio de Chriſti incarnatione inter alia medium nobis excellentiſſimum proponit ad Dei gloriam amplificandam nempe exinanitionem & humilitatem Chriſti , quæ in hoc potiſſimum myſterio elucet ,ita vitæ eius myſteria quanquam multa variis in rebus abnegationis vniuerſi amoris mundani & proprij exempla præbeant , ſolet tamen vt plurimum vnumquodque aliquod ſibi proprium, medium,ſiue virtutem , aut partem mortificationis & abnegationis continere; quare in ſingulis myſteriis attendi debet quæ potiſſimum Chriſti virtus eluceat , vt eius formam bene penetremus , & moribus noſtris accommodemus , & in hoc quidem primo myſterio , vt dixi , potiſſima nobis humilitatis & exinanitionis Chriſti ratio habenda eſt. Nam ſicut

cut initium omnis peccati, siue in Angelo, siue in homine, superbia fuit, nihilque ita gloriæ Dei procurationi, obstat, sicut propriæ æstimationis amor; ita Christus & hominem & Dei gloriæ reparaturus splendorem ab hac virtute, quæ fundamentum est totius ædificij spiritualis, initium duxit. De quo ita S. Bernardus serm. 1. de aduentu. Reuera principes nostri Adam & Eua principia nostræ propaginis inobedientes & socij fuerunt, qui quod Dei filij est, serpentis imo Diaboli per serpentem consilio subripere tentant, nec dissimulat iniuriam Filij Pater (Pater enim diligit Filium) sed continuo & in ipsum hominem vindictam retribuit, & super nos aggrauat manum suam, omnes enim in Adam peccauimus, & in eo sententiam damnationis accepimus omnes. Quid agat filius videns prozelare patrem, & nulli penitus parcere creaturæ? Ecce inquit occasione mei creaturas suas amittit Pater, altitudinem meam primus Angelus affectauit, & populum qui sibi crederet habuit; sed continuo Patris zelus grauiter vindicauit in illum, percutiens eum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli, scientiam quoque, quæ nihilominus mea, subripere voluit homo, & ne illi quidem misertus est, nec pepercit oculus eius. Nunquid de bobus cura est Deo? Deus tantum fecerat nobiles creaturas, rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet & hominem; ecce propter me Angelos multos perdidit, homines vniuersos. Ergo vt sciant quia & ego diligo patrem, per me recipiat, quos quodammodo propter me amisisse videtur. Si propter me tempestas hæc orta est (ait Ionas) tollite

tollite me & mittite in mare; omnes inuident mihi, ecce venio, & talem exhibeo memetipſum, vt quiſquis inuidere voluerit, quiſquis geſtierit imitari, fiat ei æmulatio in bonum.

MEDITATIO I.

De Incarnatione Ieſu Chriſti. Lucæ I.

Oratio præparatoria nihil à ſuperioribus variatur.

PRimum præludium, eſt proferre in medium contemplandæ rei hiſtoriam, quæ hoc loco erit. Quomodo perſonæ tres diuinæ vniuerſam terræ ſuperficiem ſpeculantes hominibus refertam qui ad inferos deſcendebant, in deitatis ſuæ æternitate decernunt, vt ſecunda perſona pro ſalute humani generis naturam hominis aſſumat, vnde aduenienti tempore præſtituto Archangelus Gabriel ad B. Virginem Mariam nuncius deſtinatur.

Secundum præludium pertinet ad loci compoſitionem, quæ erit viſio imaginaria; perinde ac ſi oculis pateret vniuerſæ terræ ambitus quam habitant tot diuerſæ gentes. Deinde ad certam mundi partem domuncula ſpectetur Beatiſſimæ Virginis apud Nazareth in prouincia Galilææ ſita.

Tertium præludium continet gratiæ poſtulationem, vt intimè cognoſcam, quo pacto Dei

M Filius

Filius mei causâ ſit homo factus,vt ardentiùs ipsũ amem,abhinc ſequar ſtudioſiùs.

Primò,Angelus Gabriel B. Virginem ſalutans diuini verbi conceptionem ei nuntiat, Ingeſſus Angelus ad eam dixit.*Aue grati,plena &c.Ecce concipies in vtero & paries filium.*

Secundò,Confirmat Angelus id quod prædixerat adducto exemplo /de ſancti Ioannis Baptiſtæ conceptione admiranda. Et ecce Elizabeth cognata tua,& ipſa concepit filium in ſenectute ſua: quæ vocatur ſterilis.

Tertiò,Reſpondit Angelo Virgo ſancta.Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

Primum punctum , eſt vt ſpeculer perſonas omnes de quibus agitur , & primo quidem homines ſuprà faciem terræ degentes , adeò motibus , geſtibus , & actionibus diuerſos, quoſdam albos, & nigros alios , nonnullos fruentes pace , & reliquos bellis agitatos,hunc plorantem, & ridentem illum,ſanum vnum, & alterum ægrotum , naſcentes multos, & multos viciſſim morientes , ceteráſque varietates prope innumeras. Deinde contemplandæ erunt perſonæ tres diuinæ è ſolio ſuo regali intuentes omnia hominum genera in ſuperficie terræ cæcorum more viuentium, planéque morientium & deſcendentium ad infernum , poſtea B. Virginem Mariam cum Angelo eam ſalutante conſiderabimus,aliquid inde ſemper ad nos reflectendosvt ex conſideratione tali fructum aliquem referamus.

Secundum punctum. Eſt auditu interno excipere quid loquantur perſonæ omnes, vt homines in terris confabulantes,blaſphemantes , ſibi inui-

cem conuitiantes. Diuinæ tres personæ in cœlo de redimendo genere humano colloquentes, virgo & Angelus in cellula de incarnationis mysterio tractantes, quorum omnium reflectione seu applicatione quadam ad meipsum facta studebo ex singulis nonnihil fructus decerpere.

Tertium punctũ consequenter erit, actiones quoque personarum simul attendere vt puta quomodo se inuicé mortales infestent, concutiant, trucident, & omnes ruant ad inferos; quomodo sanctissima Trinitas incarnationis opus exequatur, quomodo item Angelus sua fungatur legatione, & B. Virgo humillimè se gerens diuinæ gratias agat maiestati, ex quibus ad nos ipsos, vt dictum est, reflexis fructus obiter est legendus.

Colloquium postremò subiiciam disquisitis studiosè verbis, quibus diuinam quamlibet personam verbum incarnatum, & ipsius matrem dignè valeam compellare, petendo etiam pro affectu quem in me sensero quidquid iuuet ad maiorem Domini mei Iesu-Christi velut nunc recens incarnati imitationem.

Recitabitur in fine Pater Noster.

Ad considerationem primam, tria præcipuè considerandasunt.

IN hac contemplatione tria potissimùm circa Christi incarnationem ad humilitatis & abnegationis exemplum perpendenda sunt.

Primum. Quid ad gloriam patris reparandam, & ex eius meíque amore filius Deus etiam ipse maiestatis fieri dignatus est, nempe exinaniuit semetipsum formam serui accipiens: cum enim Deus esset, & sua gloria plenus, nec posset sibi ipsi aut aliis vilescere, vt tamen suæ bonitatis, iustitiæ, sapientiæ potentiæ diuitias & gloriam extra se effunderet, homo fieri voluit, nec solùm nihilũ, sed etiã miserias assumpsit, vt quod in diuina natura non poterat Dei verbum, id in humana faceret, & seipsum, suaque omnia bona ac perfectiones quodammodo subiiceret, & contemni ab hominibus, ac extrema quæque pati posset; nonne igitur par est te tam gloriæ Dei quàm Christi Domini amore ità succendi, vt tibi & aliis vilescas, quodlibet eius causâ fias & æstimeris, & tuum omnem honorem eius gloriæ substernas: si enim Rex tuus inde cepit gloriam regni patris sui reparare, inde pariter conuenit te initium ducere.

Secundum. Ponderanda est perfectissima eius obedientia & voluntatis in eodem momento resignatio, & conformatio cum voluntate patris, ad perfectam diuinæ legis obseruationem, ad agendum & patiendum quiduis pro eius gloria: nam

nam ait: In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam Deus meus volui, & lex tua in medio cordis mei; quam promptitudinem & alacritatem ad finem vsque, donec omnia consummaret in cruce, retinuit: continuò persuadebo hanc mihi resignationem, & amoris Dei perfectionem esse imitandam, vt ex hoc momento totam ei voluntatem meam tradam paratissimam ad integram executionem, & hilarem, eius beneplacitum in medio cordis mei reponendo, quidquid tandem mihi sit patiendum.

Tertiò, perpendenda est regis mei quædam veluti incarceratio 9. mensibus in vtero B. Virginis, & generalis rerum omnium huius mundi abnegatio & mortificatio, quam & tunc inchoauit, & deinceps totâ vitâ seruauit, seipsum continuò Deo Patri holaucaustum offerens, & eo exemplo inductus, sensuum meorum vsu restricto, & rebus omnibus foras à me proiectis in vitæ religiosæ & secretioris abdita me mundo ignotus libenter recipiam.

De natiuitate Christi.

IN hoc mysterio elucet potissimùm Christi paupertas humilitatis germana soror, & indiuidua com, atque post eam maximè necessaria ad dei gloriam amplificandam; Nam amor pecuniæ & mundanæ gloriæ quæ potissimum diuitiis quæritur post amorem propriæ exellentiæ, præcipuus est diuinæ gloriæ & amoris hostis, radix enim omnium malorum est cupiditas 1. Thimoth.

 6. quare

6.quare innumeri homines horum amore excæcati Dei honorem impiè & ſacrilegè quotidie proculcant.Ego Chriſtus Ieſus hoc à ſe bonum proiiciens iã inde à natiuitate id profitetur, diuitias nihil eſſe præ Dei gloria , & ſe ad inexhauſtos paternæ gloriæ & perfectionum theſauros hominibus recludendos aduenire.Quare eo ita mundum mundique opes in præſepio contẽnente,paupertatẽ non tam verbo quã exẽplo docente , Angeli concinunt *Gloria in altiſſimis Deo.* Nimirum cum eſſet diues Deus , factus eſt pauper, vt quanti ſint faciendæ gloriæ Dei diuitiæ ab ipſo diſcamus.D.Bernardus ſerm.in vigil.de Natiu.Chriſti de eius paupertate deuotè & appoſitè ad hunc locum ita habet. Erat enim qui fortè ſublimia ei quærenda arbitraretur eſſe palatia,vbi cũ gloria Rex gloriæ ſuſciperetur, ſed non propter hoc à regalibus illis ſedibus venit. In ſiniſtra eius diuitiæ & gloria,in dextera longiturnitas vitæ?horum omnium æterna in cœlis affluentia ſuppetebat,ſed paupertas nõ inueniebatur in eis:porrò in terris abundabat , & ſuperabundabat hæc ſpecies,& neſciebat homo pretiũ eius,hãc itaque Dei Filius concupiſcens deſcendit vt eam eligat ſibi & nobis quoque ſua æſtimatione faciat pretioſam.

CONTEMPLATIO II

De Natiuitate. Lucæ. 2.

Oratio præparatoria vt supra.

PRimum præludium ex historia dependet quæ recensenda est ab egressu B. Virginis ex oppido Nazareth, quo scilicet modo ipsa iam nono mense grauida, & insidiens asinæ, vt piè meditari licet, ac Ioseph comes cum ancilla & boue profecti sunt Bethleem tributum à Cæsare exactum pro se soluturi.

Secundum præludium vero deducendum erit ex consideratione itineris æstimatâ eius longitudine, obliquitate, lenitate vel asperitate passim occurrente; deinceps etiam Natiuitatis locum rir mabimur, speluncæ similem latum vel angustum, planum vel erectum, commodè vel incommodè paratum.

Tertium præludium à superiore nihil mutabitur.

Primò, Beata Maria cum Ioseph sponso suo è Nazareth proficiscitur Bethleem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa &c. in Bethleem &c. vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.

Secundo, Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.

Tertiò, Eodem tempore facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo &c.

Primum punctum. Est aspectus personarum vt Virginis Deiparæ & Ioseph coniugis cum famula & Christi Domini vt infantis nunc primum nati, inter quos me adesse fingam tanquam pauperculum eorum vtcumque necessitatibus cum reuerentia maxima famulantem, ac inde quid ad me redire emolumenti ex tali spectaculo possit, dispiciam.

Secundum punctum, conficitur ex verborum quæ ibidem fiunt apprehensione fructuosa.

Tertium punctum. Ex negotiorum quæ ibi geruntur inspectione, puta itineris laborum & causarum ob quas summus omnium Dominus in summa natus sit egestate, laturus quoque in hac vita cum perpetua paupertate, laborẽ, famẽ, sitim, æstum, frigus, opprobria, verbera, & crucem tandem subiturus, ídque mei causâ, vnde per singula studebo prouentum aliquem spiritualem colligere.

Ad contemplationem secundam tria maximè perpendenda.

PRimum est, quomodo Deus maiestatis, cuius est terra & plenitudo eius, cum esset diues, atque omnium diuitiarum fons, egenus fieri voluit, & voluntate, atque affectu, & reipsa. Nam omnino nudus & pauper nasci elegit ex paupere matre

matre, in loco alieno eoque vili, alieno in fœno excipi, alienis, vt credibile est, & vilibus pannis inuolui, cui deinde totâ vitâ ad crucem vsque non fuit vbi caput reclinaret, vt ita te doceret pro Dei gloria, &, vt eius procurationi vacare possis, omnia contemnenda esse, nónne ergo par est te omnem rerum mundi affectum prorsus ad extremam nuditatem exuere, & reipsa paupertatis effectus experiri non tantùm te omni re abdicando, & superflua abiiciendo, sed etiam necessariis rebus priuando, gaudendo cum quid deest siue victui siue vestitui cum meliora dantur, cum id quod habes aufertur: sic natus est Christus, sic in Christo si nouus homo esse velis renasci te oportet.

Secundum est, quanto cum mundi contemptu actiuo & passiuo natus sit. Ideo enim natus est de nocte; in loco obscuro, & vili sine strepitu aut concursu, ignotus omnibus, & despectus, nec enim erat ei locus in diuersorio. Iam tum mundus erat ipsi crucifixus, & ipse mundo, vt liberiùs & efficaciùs omni bono alio proculcato solam patris gloriam, cui mundanus amor & gloria infensissimus hostis erat, procuraret. Hoc quoque te imitari necesse est si eumdem finem verè intendas, vt, quantum in te est, lateas, & te in tenebras abdas, sic enim securiùs te diuina prouidentia ex illis latebris ad suam gloriam illustrãdam, cum ei visum fuerit, educet.

Tertium est, quòd incipit etiam experiri communes vitæ huius miserias, dolores & gemitus sine vlla singularitate vel priuilegio, adeo vt verissimè dicat, Pauper sum ego & in laboribus à iuuentute mea. Nam labor & dolor comes est indiuiduus paupertatis; vide ergo quomodo tu te

laboriosis

laboriosis etiam operibus Deo vtilem seruum sine vlla exemptione impendere queas regis tui exemplo.

De Christi Cricumcisione.

SIcut in Incarnatione humilitatis, in Natiuitate paupertatis, ita in hoc mysterio mortificationis præcipuè dat nobis exemplum Christus Dominus, vt iam inde nos doceret quàm necessarium sit iis qui procurandæ aliorum saluti & gloriæ Dei vacant, corpus suum domare, eius appetitus compescere, mortificationem amare, ad incommoda quæuis perpetienda ad effusionem vsque sanguinis paratos esse. Nam non fert tanta vocatio carnis delicias & commoda vtpote sibi ex diametro contraria. Quare Christus ab iis initiis incipiens totâ vitâ in laboribus & incommodis ad crucem perseuerauit.

CONTEMPLATIO III.

De Circumcisione. Lucæ 2.

PRimum punctum. Circumcisus est puer.

Secundum punctum, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.

Tertium

Tertium punctum. Redditus eſt matri ſuæ plorans, quæ illi compatiebatur de ſanguinis viſa effuſione.

Tria potiſſimùm hîc expendenda.

Primum. Quomodo rex gloriæ Chriſtus Ieſus Deus immortalis,cui ob perſonæ dignitatem, & animæ beatitudinem corpus glorioſum, impaſſibile,agile, & ſubtile debebatur,mundo apparuerit veſte miſeriæ noſtræ, & infamis carnis tectus, corpore, inquam inglorio, paſſibili, doloribus obnoxio,vt hoc etiam mundo nempè huius vitæ laboribus, & tum communibus tum particularibus quibuſdam corporis incommodis, & paſſionibus ſalutem noſtram & patris ſui gloriam procuraret. Hoccine eſt veſtimentum regium in quo ſcriptum eſt Rex regum & Dominus dominantium. Non ſic filij hominum ſui nimiùm amantes, qui de ſuo iure nihil cedere, nihil de corporis commodis volunt diminuere, cum tamen admodùm difficile ſit ſine aliquibus vitæ incommodis gloriæ Dei verè & vtiliter ſeruire: vide ergo tu ne occaſiones fugiendi fugias, ne pro tuo iure hæc aut illa commoda, has vel illas animi relaxationes & recreationes quæras, ſed potius vltrò ad incommoda quæuis aſpira.

Secundô, quomodo ſit circumciſus & ſanguinem iam tum fuderit, vbi perſonæ eius dignitatem, innocentiam, eius cognitiones, deſideria interna, & externam hanc paſſionem expende; nam infans ille pro ſua ſapientia id medium ad Dei gloriam vltrò elegit exoptans ex tunc

totum

totum in eum finem sanguinem perfundere, vide quo ardore pretiosus ille sanguis ex inflammato corde suo exiit ad tuam salutem & patris gloriam, & cogita quod tibi exemplum dare intendebat veræ & perfectæ mortificationis, sensuum omnium & passionum &c. voluntatis atque iudicij. Nam hîc etiam eius obedientia fuit excellens, cum enim non subiaceret, tamen eam seruare voluit, & innocens peccatoris signum accepit.

Tertiò, Quomodo peractâ circumcisione vocatus sit Iesus, vt scias eius officium verè nullo modo potuisse geri, nec suum finem attingere nisi per circumcisionem. Quare si tu salutis & perfectionis propriæ, & aliorum curam verè habes, si verè in Societate Iesu, & nominis eius & officij particeps es, statue te perfectè circumcidere, aut enim & nomen & vocatio atque officium deserendum est, aut accuratæ perfectæque mortificationi vacandum; vide ne forte hactenus nec salutem tuam in tuto satis collocâris, nec te ad perfectionem promoueris, nec circa proximum quicquam solidi fructus effeceris, atque ita frustra in Societate Iesu fueris, ideo quia incircumcisus fuisti, & tuorum commodorum nimiùm amans.

De Christi Præsentatione in templo.

Superbæ rebellionis Angeli & hominis Deo creatori suo, quem ei debebat cultum, gloriam, & honorem, negantis exemplum, ne longiùs in genus humanum serperet in gloriæ Dei iniuriam, efficaciter curaturus Christus Iesus non satis habuit ipso primo momento suæ conceptionis in templo

templo ſuæ humanitatis, in altari puriſſimi cordis ſui Deo patri ſeſe cum omni cultu & reuerentia offerre & ſubiicere, ſuas ad eum orationes fundere, humiliter ſeſe in omne eius obſequium illi offerre & conſecrare, ſed præterea quoniam id ad exēplum noſtrum neceſſarium erat, palàm in templo ipſo, ſeſe illi hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem exhibuit, & ſolemni illo ſacrificiorum ritu proteſtatus eſt ſeſe ideo in mundum veniſſe, vt tantus quantus erat in Dei patris ſui gloriam conſumeretur, quam aduerſus patrem religionem, reuerentiam, & ſui oblationem ad crucem vſque nunquam intermiſſo actu, exteriùs etiam ſæpiſſimè, provt ſe dedit occaſio, exercuit.

CONTEMPLATIO IV.

De purificatione B. Virginis, & pueri Ieſu præſentatione. Lucæ 2.

PRimum punctum: Detulerunt puerum in templum vt præſentarent eum Deo tanquam primogenitum, offerentes pro eo conſuetum munus, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Secundum punctum. Simeon veniens eâdem hora in templum accepit, eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum.

Tertium, Anna ſuperueniens confitebatur

Domino,

Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant Redemptorem Israël.

Tria hic præcipuè sunt perpendenda.

Primum est, quod Christus in ipso primo templi aditu patri suo obtulerit nempe seipsum totum, corpus, animam, sanguinem vniuersum, vitam omnem, actionésque etiam singulas, & mortem in cruce cum omnibus tormentis, laboribus vitæ persecutionibus, doloribus, paupertate, infamia, contumeliis, opprobriis: hæc enim omnia ante oculos habebat, & videbat multùm ad patris sui gloriam promouendam habere momenti, itaque sese suáque omnia ei perfectissimè subiecit, vide tu quid Deo hactenùs obtuleris, quídque offerre in posterum debeas, & quomodo te ei ex integro consecrare.

Secundum est, quomodo ita sese Deo patri obtulerit nempe, Primò cum infinita quadam æstimatione & reuerentia erga diuinam maiestatem à qua cum sacratissima illa humanitas sese creatam, cum nihil ex se esset, & tot ornatam donis videret, dubium non est quin eum infinita quadam sui demissione ad nihilum vsque, imo infra nihilum sese ei demiserit, vt eam honoraret, & suam ab ea dependentiam potestaretur.

Secundò, Cum maximo erga eandem amore & ardentissimo gloriæ eius amplificandæ desiderio, nam illuminatissima anima illa cum Dei amore æstuaret, quid ei aliud in hac oblatione speraret quam ei sese refundere, & bonum gloriæ eius quod ei tantopere curæ esse scis, totis viribus procurare.

Tertiò,

Tertiò, Probabile etiam est addictâ voti obligatione hæc omnia Deo patri obtulisse, non quod ad voluntatis confirmationem voti vinculo egeret: sed quia ad maiorem Patris gloriã spectaret; & ea solet esse vis amoris, vt cum quippiam gratum esse ei quẽ amamus nobis persuademus, illud ipsũ statim realiter donemus, vel saltem abdicato omni iure nostro ei perfectè, quantum fieri potest, obstringamus.

Tertium est, quomodo ea quæ obtulit Christus Deo patri tota vita perfectissimè præstitit. Nam eius oblationis perfectio semper perseuerauit actu interno: quoad executionẽ verò tota eius vita nihil aliud fuit quã continuũ holocaustũ. Christus quidem statim redẽptus, nec in tẽplo Deo mancipatus remansit, verùm id factum est vt à contẽplatiua vita quã ibi duxisset, ad actiuam & laboribus Dei gloriæ & hominũ saluti vtilioribus exercitã transiret, possétque ad Dei gloriam plura longè agere & pati, atque adeo plenũ sui ipsius Sacrificium offerre eidem. Vide quomodo ea præstes, quæ vel Deo promisisti vel obtulisti, quã infidelis sis, quã auarus, Deo teipsum aliaque quæ donasti subducens, quàm sæpe Deum qui odit rapinam in holocausta ad iracundiam prouoces, quantùm otiosam vitam ames, quantùm horreas labores pro Dei gloria, tuâ & aliorum salute & perfectione.

De fuga Christi in Ægyptum.

NOn diu post oblationem sibi factam Deus pater filium suum secundum ardentia eius desideria exercet:nam statim permittit Herodiana persecutione in discrimen vitæ venire,vt occasionem habeat præbendi nobis exemplum tum indifferentiæ circa habitationis locum , tum fiduciæ in diuina prouidentia,exuto affectu omni erga patriã, & abiectâ inani confidentiâ in parentibus & amicis.Hæc certè indifferentia quoad locum habitationis,& fiducia in Dei prouidentia quocumque tandẽ pro Dei gloria mittamur in Societate valde necessaria est,vt pluribus in locis declarat B. P.N. p.3.c.2. ex gen.& p.6.c.§.5.& alibi.Quare cũ Societatem ad Christi vitam formare intenderet,hæc experimenta constituit,vt quemadmodum Christus Iesus vitæ initio ad præsentationem vsque clã in loco obscuro delituit internis potissimùm actibus Deo vacãs,ita statim initio per integrum mẽsem spiritualibus exercitiis sese Deo nostri iungãt, deinde alterum aut duos menses pauperum more peregrinando mendicent,vt possint , inquit,ad incõmoditatem comedendi & dormiendi assuefieri, atque adeo vt omni spe illa abiecta,quam in pecuniis & aliis rebus creatis possent constituere,integrè vera cum fide & ardenti amore eam in suo creatore & Domino constituant:sic B.P. N.in examine c.4.§.12.

CONTEM

CONTEMPLATIO V.

De fuga Christi in Ægyptum.

PRimum punctum. Volens Herodes puerulum Iesum interficere occidi fecit innocentes, præmonito Ioseph per Angelum vt in Ægyptum profugeret; surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in Ægyptum.

Secundum punctum. Iter corripuit Ioseph Ægyptum versus; qui consurgens nocte &c. secessit in Ægyptum.

Tertium punctum. Et erat ibi vsque ad obitum Herodis.

Tria hic perpendenda.

Primum. Deum hanc persecutionem permisisse vt filium suum iam tum in asperis & laboriosis huius vitæ casibus & itineribus exerceret. Quare cum posset alio modo eum eripere, tamen eum voluit patriam, parentes, amicósque bonáque omnia, ex quibus solatium aliquod haurire poterat, deserere, & fugere, non ad Magos vel ad alios notos, sed in Ægyptum, barbaram & idolis addictissimam regionem, quia id & ad eius labores & miserias maiores, & ad Dei gloriam futurum erat: vbi licet admirari diuinum consilium in vita filij sui ita gubernanda, vt discamus etiam nos dispositioni sanctæ Dei prouidentiæ commit-

tere, si quid aliquando nobis accidat.

Secundum est, quomodo iubente Deo per Angelum, vt Iosephus statim de nocte surgeret, cum solo puero & matre, omnibus relectis in regionem longinquam & sibi ignotam abiret, & ibi esset non uno aut altero mense, non certo tempore, sed quamdiu Deus aliud significaret: ipse Iosephus, Beata Virgo & præcipuè Christus Iesus excusso somno posthabita corporis quiete, nocte ipsa, omnibus relictis, ad locum illum Deo confisi, magna fide, cœca obedientia, promta voluntate; animo generoso alacrique ire cæperint. Et tu confunde teipsum quod ab his virtutibus ita instituto tuo propriis longissimè absis, & eas à Christo Domino postula.

Tertium est, quod fuerint in duro illo & aspero exilio septem annis vt multi putant, in extrema paupertate, in medio nationis prauæ, expectantes patienter donec Dei prouidentiæ placeret in Iudæam reuocare. Interim vero dubium non est, quin vitæ innocentia & sanctitate, aliisque rationibus, prout occasio erat, Dei cognitionem & amorem in eo populo propagarent, & forte huius in Ægypto commorationis fructus extitit tot sanctorum virorum religiosorumque innumera multitudo, qui in ea postea ad Dei gloriam floruerunt, nempe nullus est tam desertus, tam agrestis, aut adeo alienus locus, in quo si ad illum te Deus mittat, non possis saltem orando & sancte viuendo magnum Dei gloriæ fructum percipere. Quid scis an non te ab eo, in quo libenter habitas, remoueat quia præuidet fore vt in grauia in eo vitæ spiritualis pericula venias, viue ergo & Domini tui negotia fidelis seruus in eo

loco

loco gere in quo te esse voluerit. Ille Dei spiritus est, vt quibus vti ad gloriam suam p arat, eos priùs tanquam indignos procul abiiciat, & in abditas & ignobiles sedes veluti compingat.

De Christo remanente Hierosolymis.

Reuersus in Iudæam Christus non est dubium quin in illa vita priuata cum parentibus in vilibus sese officiis occuparit, cui vitæ eius parti responderet probatio quæ quarto mense fit in Societate, in vilibus culinæ, & aliis domesticis ministeriis, quæ quidem etiam suo modo deinceps perseuerat. In eo autem quod remansit Hierosolymis, vt patris sui negotiis vacaret, significatur tum perfecta mundi derelictio, & omnis humani respectus abdicatio, tum quibus in rebus ij qui ad Christum sese aggregant occupandi sint, nempe discendo ea quæ ad Dei gloriã vtilia sibi esse possunt, & suo modo alios quos possunt pro sua conditione docendo, hæc Christus fecit hoc triduo.



MEDITATIO VI.

De Christo remanente Hierosolymis.

PRimum punctum. Natus Iesus annos duodecim è Nazareth profectus est Hierosolymam.

Secundum punctum. Remansit illic nesciis parentibus.

Tertium punctum. Post triduum inuenerunt eum in templo sedentem inter doctores, & ipse illis causam moræ percunctantibus respondit. Nesciebatis quia in iis quæ sunt patris mei oportet me esse.

MEDITATIO VII.

Ad hæc Christi verba: Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse.

Expendenda sunt hæc tria.

PRimum est Christum præter Iosephum officio patrem, & B. Virginem veram matrem, significare se patrem verum habere à quo dilectus filius vt fidelis negotiorum paternorum administrator

ſtrator miſſus ſit ad gloriæ eius procurationem; nam ille eſt finis miſſionis eius, quem certè his verbis ita cordi fuiſſe inſinuat, vt præ illo & matrem ſanctiſſimam & Ioſephum contriſtari, imò ſi fuiſſet opus merito contemnere potuiſſet: ſciebatis, inquit, me Dei vnigenitum ad eius gloriam procurandam veniſſe, ergo ſcire debebatis me in ea re occupari debere: vide num in te Dei creatura ſeruo, filio, ad officij Ieſu ſocietatem vocato tam inefficax inſit diuinæ gloriæ intentio, vt omnia ei ſic poſtponas?

Secundum eſt ea quæ erant negotia in quibus ſe Chriſtus hoc triduo ad patris gloriam occupauit, fuiſſe tria. Primò enim toto triduo eſt veriſimile in templo remanſiſſe, & continuis orationibus intentum pro hominibus ſupplicaſſe; Deinde etſi eſſet Dei ſapientia; tamen tanquam diſcipulus cum humilitate magna, non ſecus atque ſi rudis fuiſſet, doctores interrogauit; denique etiam cum magna prudentia & modeſtia interrogantibus reſpondebat, non oſtendendæ doctrinæ cauſa, ſed ex vero zelo gloriæ Dei, vt eius cognitionẽ & amorẽ pro eo quod ætatis ratio patiebatur docẽdo aliis infunderet. Has certè occupationes Dei negotium quod tibi commiſſum eſt ordinariè requirit, vt ſpiritualibus rebus vaces diligenter, & ſuo tempore ſtudiis te des, denique vt etiam pro tua conditione alios iuues.

Tertium eſt quod dicat oportere ſe eſſe in iis patris negotiis, id eſt, ſeſe totum omnibus aliis, quæ ad carnem & ſanguinem pertinent, abdicans, applicare: vide & tu pariter num in iiſdem totus ſis, an non tui partem poſſideat amor corporis, aliam amor mundi & vanitatis: laudabile

quidem est studere, sed ex pura intentione duntaxat gloriæ Dei, & suo tempore, sic vt aliis etiam vaces; plura illa erant in quibus Christus dixit se esse debuisse, si totum te studiis dederes, caue ne à Christi exemplo recedas, quantumuis tibi videaris ex Dei gloriæ intentione, aliis omissis, illis vacare.

De vita Christi ab anno 12. *ad* 30.

Cum in Iudæa plerique omnes ab hac circiter ætate & deinceps audiendis doctoribus, & legi ediscendæ operam vsque ad annum 30. quo primum licebat doctorem agere & Christus Dominus Dei sapientia, studio non egeret, totum illud tempus, ne in otio viueret, vili opificio, & humilibus parentum obsequiis tribuit, inter quæ tamen sapientiæ & virtutum omnium perfectiora in dies opera edebat. Crescebat enim ætate, sapientia, & gratia apud Deũ & homines & parentibus in arte fabrili & cæteris domus officiis subditus erat. Quod nobis exemplo fuit vt non in publicum prodeamus & ad maiores functiones aspiremus nisi quando Deo placuerit. Interim verò ita nos contineamus, vt non otiosam vitam agamus, sed ea instrumenta doctrinæ, & sanctitatis atque humilitatis comparemus quibus suo tempore quando Deus vocabit, vtiles aliis esse possimus.

MEDITA

MEDITATIO VIII.

De vita Christi ab anno 12. ad 30. Luc. 2.

PRimum punctum quomodo subditus erat & obediens parentibus.

Secundum punctum. Proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, &c.

Tertium punctum, videtur artem fabrilem exercuisse, cum dicat sanctus Marcus cap. 6. Nonne hîc est faber?

Tria hic perpendenda.

Primum est quomodo Christus crescebat sapientia & gratia apud Deum & homines. Nam etsi à primo momento conceptionis in eo essent thesauri omnes scientiæ, sapientiæ & gratiæ, atque adeo nihil addici posset, tamen non statim perfecta sapientiæ & virtutum opera edidit, sed pro ætatis ratione maiora sensim & perfectiora suæ scientiæ, sapientiæ, & virtutum exercitia tum verbo, tum facto obiuit; adeò vt & coram Deo & coram hominibus maior eius sapientia, scientia, prudentia, amor Dei & proximi, humilitas, mansuetudo, modestia, patientia appareret, ita certè te crescere oportet non in scientia tantùm naturali, sed supernaturali sapientia, Deíque & rerum Diuinarum cognitione & æstimatione, itémque in omnibus

virtutibus,præcipuè verò humilitate, obedientia, & modestia, ídque coram Deo ad vitandam hypocrisim, & coram hominibus, vt iis exemplum bonæ ædificationis præbeas.

Secundum est quomodo Christus fuerit subditus parentibus: vbi perpendendum quis erat subditus, quibus & in quibus rebus, certe in duabus præcipuè;primò quidem in arte fabrili quam cum illis & ex illorum voluntate exercuit non secus atque solent pauperum filii, in quo maxima apparet Christi humilitas etsi liberè id opificium elegisset, ita tamen in eo versatus est tot annis quasi non ex propria electione, sed parentum voluntate non delectatione, & fallendi temporis causâ, vt multi diuites solent, sed ex necessitate, quasi opus eo haberet ad vitam sustendendam, suscepisset.

Secundò in aliis domesticis obsequiis ad eum planè modum quo cæteri pueri parentes pauperes in verrendo, focum componendo, & cæteris id genus solent adiuuare, imo magis, cùm venisset ipse non ministrari vt parentes filiis sæpe solent, sed ministrare, qui enim discipulis deinde pedes lauit, quæ obsequia patri & matri præstare potuit? fuit hæc Christi vita quasi præludiũ quoddam eorum quæ postea gessit, & perfectiorum exercitiorum rudimentum, in quo tamen non minus diligens & exactus fuit, quam in altioribus illis prædicationis & conuersationis functionibus. Nec enim cum minori æstimatione & feruore hæc exigua obsequia sibi iniuncta præstitit, quam aliis postea vacârit, cum non tam ipsa secundum se opera, sed patris sui voluntatem intenderet, quam tanti æstimabat in vilibus occupantem

pantem,quanti ad excellentia illa vocantem:vide tu quomodo in ſtudiis tuis & aliis domeſticis miniſteriis Chriſti exemplo te conformes in humilitate præcipuè & obedientia.

Tertium eſt quomodo in priuata illa vita tegerit ſuam maieſtatem,excellentiam,ſapientiam,accepta à patre dona ſub hoc vili ſtatu,exacto ſilentio & maxima modeſtia,obtegẽs,ab omni publico congreſſu,diſputationibus,collationibus, prædicationibus abſtinens;adeo vt idiota ab omnibus reputaretur, idque tanto tempore donec Deo patri viſum fuerit;vt ſeipſum mundo manifeſtaret,diſce hinc quis ſit Dei ſpiritus, quis mundi: Deus,etſi ſuæ gloriæ amantiſſimus ſit,nõ tamen vult te illico ad eius procurationem applicare, vt humiliùs in humilitate funderis,& inde maiorem ipſe gloriam accipiat;vult te in tenebris deliteſcere,& velut elinguem ſilere 3.annis,vt poſtea exiguo forte tempore trium annorum appareas ſine tuo periculo illuſtrior & efficacior gloriæ eius præco, nec enim otioſa ſunt tẽpora in humilitate & ſilentio tranſacta:contra,ſpiritus mundi,etſi Deus non vocet ad honorificas functiones, impellit nullo fructu, ingenti periculo.



CAPVT

CAPVT XXVIII.

Ad exercitium de vexillis & sequentia vitæ Christi mysteria.

PARAGRAPHVS. I.

Quis sit ordo sequentium exercitiorum.

POstquam Christus Dominus triginta integros annos in priuatæ potissimum vitæ studiis posuit, quod reliquum erat vitæ ad hominum salutem & perfectionem promouendam conferre palàm aggressus est, quo in opere 4. præstitit.

Primò enim sese nouo modo ad illud parauit.

Quoniam non erat diu mansurus in hoc mundo, Apostolos sibi tanti operis socios & successores elegit quos secum perpetuò habere voluit, vt faciliùs priuato etiam labore eos ad vitæ perfectionem monitis & exemplis proueheret, & tantæ procurationi idoneos efficeret.

Tertiò, Postquam illos ita instruxit & sinu suo emisit, vt alios ad salutem pariter ac perfectionem tanquam ipsius legati inuitarent, huius verò missionis munia omnia & functiones, vt cum sua & aliorum eximia perfectione re ipsa exequerentur, non solum docuit verbo, sed etiam suis exemplis, quánam ratione virtutum omnium charitatis,

charitatis, paupertatis, mortificationis, mundi contemptus, humilitatis, ac diffidentiæ de ſuis viribus, orationis & obedientiæ vim & ſplendorem veluti imbuerent & intexerent, atque ita ſimul ſuæ & aliorum perfectionis ſemper rationem haberent.

Quartò. Cum quantum ſatis eſſet pro Dei gloria & ſalute hominum verbo & opere laboraſſet, quod reliquum erat, patris voluntate vitam ipſe ſuam & ſanguinem in holocauſtum obtulit Apoſtolis, & nobis exemplum omnibus relinquens vt ſequamur veſtigia eius.

Huius ergo partis vitæ Chriſti Domini ſumma quædam eſt exercitium de duobus vexillis, quod ideo à B.P.N. ponitur ante meditationem de Baptiſmo, vt ſit quædam veluti delineatio vocationis, miſſionis & vitæ Apoſtolicæ cuius Chriſtus Apoſtolis exemplar à Baptiſmo præbuit.

Inducit porro duos exercitus, tum quia Chriſtus Dominus aliquando ſe veniſſe ſignificauit, vt deſtrueret opera Diaboli, & fortem armatum expellat, tum vt ſignificet omnes homines ad alterutram partem pertinere, ac proinde faciliùs quiſque ſtatuat quam ſequi velit, tum vt vocati ad Apoſtolicam vitam intelligant quam ſequantur, contra quam pugnent, quo fine, quibus mediis & armis vti debeant.

PARA

PARAGRAPHVS II.

In quo consistat finis vitæ Apostolicæ siue procuratio gloriæ Dei.

QVoniam magni refert distinctè concipere & bene apprehendere quis sit vitæ nostræ finis, vt ad illum perpetuò collineare possimus, operæ pretium est pauca hîc inserere de vitæ Apostolicæ & societatis nostræ fine; deinde de mediis quibus ex Christi Domini exemplo & documentis vti debemus ad illum attingendum.

Finis ergo vitæ Apostolicæ est gloriæ Dei amplificatio, quæ certè in eo consistit, vt Deus tam à nobis quàm ab omnibus proximis cognoscatur verus æternúsque Deus, ametur vt suprema maiestas, ritè perféctèque colatur. Hanc enim vtramque partem complectitur commissum Apostolis munus, vt & ipsi in suæ salutis & perfectionis (quæ in perfecta Dei cognitione & amore cõsistit) & proximi salutis pariter ac perfectionis curam totis viribus incumbant: ad hoc vtrumque vocati sunt à Christo Apostoli, vt & ipsi in Christi schola suæ saluti & perfectioni studerent, & aliorum saluti & perfectioni vacarent; ad eumdem etiam modum de societatis institutione ita habet B. P. N. Ignatius. Finis huius societatis est non solum saluti & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare, sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere.

Itaque

Itaque finis iſte ex ambabus partibus conflatur, vt non vna tantum alteri extrinſecè & veluti per accidens adiungatur: ſed potiùs ex natura huius inſtituti ita cohæreat, vt ſeſe mutuò peruadant, afficiant, & modificent: nam eam ſibi propriam perfectionem proponit non quæ cuiuis alteri homini, vel inſtituto religioſo propria eſt, ſed quæ proximorum ſaluti, & perfectioni impensè procurandæ congruit magis. Quare eam diuinæ cognitionis & amoris cæterarúmque virtutum praxim potiſſimum amplectitur, quæ ſimul etiam ad excellenter promouendam aliorum ſalutem & perfectionem valeat, & viciſſim ita perfectioni & ſaluti proximorum incumbit, vt hæc ipſa procuratio non ſolùm nulla in re ſalutem & perfectioné propriam impediat, ſed etiam eam multò promoueat, atque adeo multas variáſque occaſiones offerat, excellentiſſimos præſtantiſſimarum virtutum actus (quibus propria perfectio vel continetur vel acquiritur dum aliorum ſaluti & perfectioni vacant) exercendi.

PARAGRAPHVS III.

In quo ſita ſit maior Dei gloria ſocietati propoſita.

ATque hinc intelligitur quomodo noſtrum inſtitutum, maiorem Dei gloriam (quod B.Ignatio in ore aſſiduè erat) ſemper intueatur. Nam varia eſt menſura diuinæ gloriæ quæ intendi ab omni rationali creatura debet.

Primo

Primò enim magna eſt Dei gloria quod quis ita ſtudeat ſuæ ſaluti vt nullum peccatum graue admittere pro vita etiam conſeruanda velit.

Secundò, Maior vero eſt æſtimatio diuinæ amicitiæ quando ne quidem veniale, etſi moriendum eſſet, deliberatè admitteret.

Tertiò, etiam maior adhuc, ſi ad perfectam puritatem, etſi opes, honores, commoda, licite etiam cum æquali Dei gloria, & ſine peccato veniali deliberato admittere poſſet, mallet tamen ſe iis omnibus exuere & paupertatem, ignominiam, pœnitentias & corporis incommoda amplecti, tum vt longiùs ab occaſionibus venialium impuritatum abeat, tum vt Chriſto Domino ſimilior ſit. Quartò, eſt præterea maior Dei gloria quando non ea tantùm puritas, & perfectio propria procuratur, ſed etiam pro occaſione, etſi non ex inſtituto proximus ad eam adiuuatur. Quintò denique eo maior adhuc eſt, quando ex inſtituto ita finis vterque coniungitur, vt ſimul vtrumque in omnibus intendatur, atque adeo quaſi æque primariò. Licet enim quiſque priùs de ſe ſollicitus eſſe debeat, tamen poteſt ſæpe fieri, vt tanto amore diuinam gloriam concupiſcat, vt de ſe vix cogitet, & ſuam gloriam & ſalutem, quatenus bonum quodquam proprium eſt, nihil vel parum curet, vnius Dei gloriæ agglutinatus, vbicumque illa demum exiſtere poſſit. Sic Apoſtolus Paulus cupiebat etiam eſſe anathema à Chriſto pro fratribus; ſic Moyſes deleri ſe de libro vitæ optabat, vt populus ille liberaretur idque ad Dei gloriam quam ſibi vterque propoſitam & cordi habebat quam maximè.

mè. Nam ideo Moyses sic extremam ab illo populo perniciem amoliebatur, ne eius interitus in Dei contemptum apud exteras nationes redundaret.

Ad hanc maiorem Dei gloriam tota Christi vita composita fuit; Nam cum in forma Dei esset nec rapinam arbitraretur esse se æqualem Deo, tamen exinaniuit semetipsum & quodammodo anathema factus est formam Dei accipiens, habitu inuentus vt homo, homo inquam, infirmus & mortalis qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, vt violatum ab homine diuinæ gloriæ decus repararet. Quamquàm enim sanctitas eius & gloria ad maximam Dei gloriam redundaret, tamen erat etiam ingens quoddam bonum sub ea consideratione, ita eam in nostram salutem & perfectionem, quatenus in ea Dei gloria consistebat, retulit, perinde ac si fuisset medium in illum finem ordinatum, atque ita vixit atque si hominis solius causâ in mundum venisset; Ad hanc ideam formata Societas quamquam suæ saluti & perfectioni cum diuina gratia vacet studiosissimè, quatenus in ea maxima Dei gloria posita est: tamen eam proximi salutem & perfectionem refert, perinde atque de se longè minùs sollicita esset quàm de proximo in cuius salutem & perfectionem impensè incumbere ex instituto tenetur, quod dum facit, excellenti plane in Deum amore suam ipse perfectionem cumulat adeo, vt etsi suum bonum etiam salutis ac perfectionis negligere ipsa pro Deo & ad maiorem Dei gloriam videatur, singulari tamen modo illud ipsum procurat.

PARAGRAPHVS. IV.

Hanc Dei maiorem gloriam quænam impediant.

NOn difficile eſt ex his colligere quænam ſint maioris Dei gloriæ impedimenta, qui hoſtes; Dæmon enim Dei & hominum hoſtis cum eius gloriam, & noſtram ſalutem ac perfectionem ab initio auertere in animum induxiſſet, in miſeram hominum vitam, innumera prope impedimenta diuini honoris, auxilio mundi & infirmitatis carnis noſtræ adiutus inuexit quibus omni tempore infelices mortales à ſuo fine longius abduxit. Atque vt de infidelitate impietatéque nihil dicam, quot rectè ſentientes in mortalia peccata quotidie inducit? quot ad perfectionis ſtatum vocatos minoribus quibuſdam peccatis, non paruis tamen vinculis irretitos tenet, ne ad ſuum finem perueniant? atque quotquot ita hos omnes altero è duobus modis impedit; vel enim fallacium bonorum cupiditate à gloriæ Dei bono proſequendo dolo malo auertit; vel intentatis mali alicuius minis vique aperta ac perſecutionibus obſiſtit. Prior gloriam Dei oppugnandi modus fundatur in illa humanæ voluntatis inclinatione, quam ad bonum in genere habet. Nam cum Deo expleri in hac vita nequeat, nec ſatis appareat dignitas & pretium quo diuina gloria æſtimari debet, facilè fit vt bonorum creatorum familiaritate capiatur, eáque pluris quam par eſt æſtimet,

æſtimet, & nimium proſequatur; quo fit vt boni gloriæ Dei decreſcat in voluntate æſtimatio, eo plus vel minus quo plura cætera fiunt; atque ita zelus diuini amoris, deſiderium & intentio tam excellentis finis minus feruens, minus pura, minus vniuerſalis, minus perfecta reddatur, imo quandoque prorſus deſtruatur.

Hæc vero ſunt opera Diaboli, hic eius ſcopus, eò vires omnes ſuas confert, vt ſi initio finis intentionem graui aliquo peccato prorſus euertere non poſſit, ſaltem inordinatis affectibus concutiat & labefactet, atque longe minus idoneam ad vitæ Apoſtolicæ opera reddat. Solet autem vti iis modis eodem ordine, quem B. P. N. in hoc de vexillis exercitio proponit. Quare optimus dux Redemptor noſter, qui venit vt deſtrueret opera Diaboli, iſtis eius impugnationibus contrarias, & Apoſtolico fini proprias ſtruit virtutes. & vexillum vexillo, arma armis, media mediis opponit.

PARAGRAPHVS V.

Quænam media Chriſtus Dominus ad finem Apoſtolicæ vitæ proponat.

QVoniam hic finis compoſitus eſt, ita non vnius generis media habet, quæ enim ad propriam perfectionem valent, vera abnegatione & mortificatione, virtutumque omnium

exercitiis, deinde orationis, & ſpiritualium mentis actionum, examinis, lectionis, atque cum Deo familiaritatis ſtudio continentur: quæ autem proprie ad proximum pertinent, ſunt externæ functiones, concionum, Catechiſmorum, adminiſtrationis Sacramentorum, lectionum, conuerſationis, & id genus alia, quæ tamen in propria ſanctitate fundantur, & ab ea ſuam potiſſimum vim trahunt. Quare propria perfectio etſi ſit finis, tamen à vita Apoſtolica aſſumitur, vt medium potiſſimum ad perfectionem proximi, ſicut contra ipſa in proximum charitas, & ſalutis eius ac perfectionis procuratio ad propriam perfectionem promouendam ab eadem dirigitur. Nam Apoſtolicæ vitæ finis ita unicam Dei maiorem gloriam intuetur, vt eam & in nobis & in proximo ſimul & vnica intentione ſpectet. Quare etſi media quædam ſint per quæ in nobis ipſis, quædam alia per quæ in proximis ea promouetur, tamen ſic in vita Apoſtolica ſimul veluti confluunt & iunguntur omnia, vt noſtra ſanctitas & perfectio quæ ad noſtram perfectionem ſpectat, medium ſit ad proximi perfectionem & maiorem in eo Dei gloriam promouendam, & viciſſim quæ circa proximum exercentur functiones, atque adeo ipſa eius perfectio, ad noſtram perfectionem medium etiam exiſtant; Nam finis ipſe diuinæ gloriæ ita vtramque perfectionem complectitur, vt vnam ad aliam tanquam medium ad finem referat. Quare etiam ſanctitatem perſequitur quæ idonea ſit vt in proximi ſanctitatem intendatur, & rurſus ita in proximi perfectione ſeſe impendit, vt dum id agit etiam perfectioni propriæ impenſe vacet, atque ita dum in

propriam perfectionem tanquam in finem intendit, simul etiam tanquam medium perfectionem proximi dirigat, vt iterum dum gloriam Dei circa proximum curat, eam procurationem adhibeat quæ propriam etiam perfectionem plurimùm promoueat; ex quo fit vt quisque quò ad maioris perfectionis propriæ gradum aspirat, & perfectiori cum intentione persequitur, eò efficacius etiam medium ad finem diuinæ gloriæ in proximo promouendi fabricet; & viciſſim ipsa contentio ad finem perfectionis proximi valde efficax medium est non tantum ad proximi, sed etiam ad propriam salutem & perfectionem promouendam. Quare ad Apostolicam vitam pertinet ea vitæ sanctitas quæ perfectam maioris gloriæ intentionem, feruentemque zelum qualem alibi describemus, continet; deinde per plenam omnis amoris mundani & proprij victoriam, virtutumque moralium exercitia, omni bono proprio etiam vitæ & famæ posthabito, non tantum voluntatem liberam ab omni alio affectu in Dei bonum procuranti subiiciant, vt ab ea in eum finem dirigantur, atque ita in proximo etiam parem sanctitatem producat rursus ipsa perfectionis proximi procuratio tot & tam aptas propriæ perfectionis & omnium virtutum exercendarum occasiones offert, vt ad propriam perfectionem plurimum conducat.

PARAGRAPHVS VI.

Quis ordo inter media ea seruandus.

QVamquam vero hæc media ita se peruadant, & ad se mutuo referantur, est tamen certus aliquis inter ea ipsa ordo diligenter obseruandus: Nan ea diuinæ gloriæ portio quæ ex propria perfectione dimanat, prius à nobis intendi & reipsa pluris æstimari debet, licet enim iis esse animi ardor in procuratione diuinæ glouiæ circa proximum aliquando videatur, vt censeri possimus non tantum vitæ & famæ aliorunque bonorum, sed etiam salutis & perfectionis nostræ obliuisci, tamen nec ita est nec esse debet is circa proximum ardor ex eo diuini amoris igne qui in nobis flagrat, & valde perficit, exoritur; Nam hæc amoris Dei perfectio ideo medium est ad proximi salutem & perfectionem procurandam, quia est amoris proximi principium, procuratio vero perfectionis proximi ideo medium est ad nostram perfectionem, non quod eius principium sit, sed potiùs quia varias nobis occasiones obiicit; quibus diuini boni amor excellenter exerceri à nobis possit. Quare ex natura rei principium prius est eo cuius est principium & quod ab eo dependet; ita sane propria perfectio priùs in nobis stabilienda est quã ad proximi perfectionem stabiliendam prosiliat: sicut enim Deus ipse nihil perficeret, imo nihil efficeret nisi bonus & perfectus esset, cum ex eius bonitate

bonitate & perfectione, tanquam ex infinito fonte cuncta promanent, ita prorſus diuini boni gloriæ perfectus amor occupare non antea debet, quàm vt apte & efficaciter erumpere poſſit ad eandem gloriam in aliis procurandam: Hic igitur ordo tenendus eſt, vt imprimis diuinus amor in quám maximum Dei gloriæ bonum tota voluntate tendat puriſſime; deinde quæ in Deo ſunt bona congratulus ad extrinſecam ei gloriam procurandam proſiliat. Tertiò quoniam ea procuratio ab amore Dei quæ in nobis eſt tanquam à principio continuo dependet, plane neceſſe eſt, vt ipſe ſeipſum prius ſtabiliat & perficiat, noſtramqne mentem & voluntatem excluſis rebus omnibus creatis Deo ſolo impleat, eique immobiliter tanquam ſupremæ veritati & bonitati, tum cognitione tum affectu aſtringat: Denique ita corroboratus & diuino lumine & ardore inflammatus, ad alios pariter ſuo igne illuminandos erumpat, & conceptam intellectu & voluntate diuinæ gloriæ æſtimationem à ſe in alios propaget, & longe lateque diffundat. Quod dum efficit tantum abeſt vt detrimenti aliquid in ſe patiatur, vt etiam ipſo ſui vſu & effuſione exardeſcat magis. Nec enim ſolum Dei perfectiones ſenſim profundius penetrat, & nouas eum amandi rationes detegit, ſed etiam in ipſa eius gloriæ procuratione innumeras habet occaſiones agendi & patiendi plurima, quibus ſicut omnis proprius amor extinguitur, ita diuinus amor exercetur & efflorescit. Hunc ergo ordinem nôn ſolum tenuiſſe viſus eſt Chriſtus Dominus, ſed etiam Apoſtolis tradidiſſe. Nam licet perfectus eſſet antequam ad publicum ſui mune-

 ris

ris exercitium accederet, primum in tenera ætate, in paterna domo, intra priuatos parietes, deinde etiam in deserto ipso diebus 40. propriè visus est perfectionis fundamenta ponere, vt inde ad aliorũ salutem procurandam efficacius veniret, Apostolos verò ita ad se vocauit, sibíque socios adiunxit, vt priùs in illis Apostolicæ perfectionis & sanctitatis fundamenta poneret, deinde ita perfectos ad aliorum salutem perfectionémque procurandam emitteret.

PARAGRAPHVS VII.

In quo sita sit ea sanctitas & perfectio propria, quæ ab Apostolicæ vitæ sectatoribus requiritur à Christo.

EA ergo vitæ sanctitas & perfectio propria cuius nobis exemplum Christus dedit, & quam suis Apostolis tradidit, in iis consistit quæ nos ipsos ab omni amore proprio & mundano euacuant, & ab omnibus creatis rebus mentem nostram affectúmque retrahunt, vt posteà liberiùs gloriæ Dei procurationi vacare, eíque fini omnes facultatum nobis concessarum functiones facilè, alacriter & perfectè applicare possimus. Quemadmodum enim Dæmon inordinato amore diuitiarum, mundani honoris, & propriæ excellentiæ, cæterorúmque quæ sub sensum cadunt, homines à salute sua, perfectione, & vitæ sanctitate procul abducit, ita Christus Dominus vt

eius

eius opera prorſus deſtruat, & noſtram ſalutem, & perfectionem promoueat hoc in Apoſtolis ſuis & nobis ſolum efficere contendit, vt ab amore inordinato terrenorum bonorum, honoríſque mundani, & propriæ excellentiæ, traducat ad puriſſima & ſanctiſſima maioris gloriæ ſuæ deſideria. Nam quamuis ipſa inordinatorum affectuum mortificatio non ſit noſtra perfectio, ita tamen eſt illi coniuncta, vt ſeparari à ſe mutuo nequeant, eſt vnus idémque modus, quo & imperfecti & noſtri nimium amantes eſſe deſinimus, & perfecti, id eſt Dei veri amatores efficimur. Quare B.P.N. in hoc exercitio de vexillis hoc proponit ad Dei gloriam promouendam medium, quod Chriſtus & per Apoſtolos omnibus propoſuit, vt Chriſti paupertatem, mundi noſtríque contemptum propter Dei amorem complexi, liberi iam & ab omnibus creatis rebus expediti tutiùs & efficaciùs Apoſtolico muneri vacare poſſimus.

MEDITATIO I.

De vexillis duobus.

Oratio præparatoria fit more ſolito.

PRimum præludium, erit hiſtorica quædam conſideratio Chriſti ex vna parte; ex altera Luciferi, quorum vterque omnes homines

ad ſe vocat ſub vexillo ſuo congregandos.

Secundum prœludium. Eſt ad conſtitutionem loci vt nobis repreſentetur campus ampliſſimus circa Hieroſolymam,in quo Dominus Ieſus tanquam bonorum omnium hominum dux ſummus aſſiſtat:rurſum alter campus in Babylonia, vbi ſe Lucifer malorum & aduerſariorum ducem exhibeat.

Tertium præludium, Ad gratiam petendam, illud erit, vt poſcamus exploratas habere fraudes mali ducis,inuocata diuina ope ad eas vitandas, veri autem optimíque imperatoris Chriſti agnoſcere mores ingenuos,ac per gratiam imitari poſſe.

Primum punctum. Eſt imaginari coram oculis meis apud campum Babylonicum ducem impiorum in cathedra ignea & fumoſa ſedere horribilem figura,vultúque terribilem.

Secundum punctum eſt aduertere quodammodo conuocatos Dæmones innumeros per totum orbem ſpargi ad nocendum, nullis ciuitatibus & locis,nullis perſonarum generibus immunibus relictis.

Tertium punctum. Attendere cuiuſmodi concionem habeat ad miniſtros quos inſtigat vt correptis iniectíſque laqueis & catenis homines primum trahant(quod fere contingit)ad cupiditatem diuitiarum,vnde poſtea faciliùs in mundani honoris ambitionem,ac demum in ſuperbiæ barathrũ deturbari queant.Atque ita tres ſunt præcipui tentationum gradus,in diuitiis,honoribus,& ſuperbia fundati,ex quibus in alia vitiorum omnium genera præceps ~~fit~~ decurſus.

Similiter ex oppoſito conſiderandus eſt ſummus

mus optimúſque dux noſter, & imperator Chriſtus.

Primum punctum erit conſpicari Chriſtum Dominum in amœno campo iuxta Hieroſolymam, humili quidem conſtitutum loco, ſed valde ſpecioſum formâ, & aſpectu ſummè amabilem.

Secundum punctum eſt ſpeculari quo pacto ipſe mundi Dominus vniuerſi electos Apoſtolos, diſcipulos, & miniſtros alios per orbem mittat qui omni hominum generi, ſtatui & conditioni doctrinam ſacram ac ſalutiferam impertiant.

Tertium punctum. Auſcultare concionem Chriſti exhortatoriam ad ſeruos & amicos ſuos omnes in opus tale deſtinatos, qua eis præcipit, vt iuuare ſtudeant quemlibet, & primo inducendum curent (ſi diuini obſequij ratio & cæleſtis electio ferat) ad ſectandam actu ipſo veram paupertatem, deinde vt ad opprobrij contemptúſque deſiderium alliciant, vnde humilitatis virtus enaſcitur, & ita tres conſurgunt perfectionis gradus, videlicet paupertas, abiectio ſui, atque humilitas, quæ ex diametro diutius, honori, & ſuperbiæ opponuntur.

Colloquium Primum poſtea formandum erit ad B. Virginem, implorandáque à filio per eam gratia, vt recipi poſſim & manere ſub vexillo eius, ídque primum per ſpiritualem tantùm paupertatem, aut etiam in rerum expoliatione ſitam, ſiquidem ad eam me vocare, atque admittere dignabitur, deinde per abiectionem quoque ſeu ignominiam, vt ipſum imiter viciniùs, deprecando tamen culpam aliorum, ne contemptus

tam in alicuius detrimentum, quàm in offensam Dei cedat: terminabitur colloquium primum per *Aue Maria.*

Colloquium Secundum. Ad Christum hominem dirigitur, vt mihi à patre impetret illud idem, subdetúrque in fine oratio, Anima Christi.

Colloquium Tertium. Ad Patrem vt annuat petitioni cum *Pater Noster.*

Sequentia puncta legenda sunt & expendenda.

PRimum punctum. Ante Christi Domini aduentum, rex super omnes filios superbiæ Dæmon explicato mundanæ elationis vexillo, totum pene humanum genus innumeris laqueis & catenis victum trahebat in triumphum, quando Christus Dominus in mundum veniens, tum documentis contrarium euexit vexillum Euangelicæ ptrfectionis, & omnibus inauditæ paupertatis, & humilitatis admirabilis proposuit exemplum, quod nihil fuit aliud quam statuere se & vitam sanctissimam, stupendámque humilitatem in signum ad quod conuolarent miseri mortales, qui se Dæmonis laqueis & barathro superbiæ saluos vellent.

Secundum punctum. Hac Christi virtute plurimum decessit illi æstimationi, quam antea faciebant mortales de diuitiis, honoribus, & excellentia, & quod antea multi sequebantur, & erat

omnibus

omnibus admirationi mundanæ ſuperbiæ, ſenſim deſeri cœpit ſaltem à pluribus, & viliùs haberi, non tamen ideo deſtitit Dæmon ab incœptis, ſed cum ſciret Chriſtum licet omnes vocaret, inuitarétque ad ſe, tamen neminem cogere, pro ſuo in nos & Deum odio, & pertinacia, vt hominum voluntates à Chriſto ſequendo auerteret, mille iterum artes, mille dolos excogitauit, quibus expugnaret & extingueret perfectionem Euangelicam, atque etiam nunc mirum eſt quantos de hominum ignauia triumphos agat, quot catenis vinctos rapiat in perditionem, dum illis perſuadet imprimis vt diuitias accumulare ſtudeant, quibus deinde ſibi viam faciant ad honores, dignitates, & officia, in quibus conſtituti intumeſcant ſuperbia, alioſque omnes præ ſeſe, atque adeo ipſos ſuperiores, Religionémque contemnant, & Dei obliuiſcantur.

Tertium punctum: Huic vt obuiam iret Chriſtus Dominus quam in mundum intulit perfectionem Apoſtolis ſuis communicauit, vt illam poſtea in ſucceſſores ſuos, & illi deinceps in alios transfunderent; Et certè mirum diuinæ ſapientiæ conſilium fuit quod cum Chriſtus potuiſſet diu viuere, & totum orbem vincere, vel ſaltem totam Iudæam conuertere, tamen paucis annis quibus in ſola Iudæa vixit, inter paucos quos conuertit, ſingulari quodam modo duodecim elegit, quos ſuos familiares & domeſticos efficere voluit, circa quos excolendos plus videtur poſuiſſe operæ, diligentiæ, ſollicitudinis & laboris, quam circa totum mundum; ideo ſecum illos eſſe voluit perpetuo,

perpetuo, vt continuo ante oculos haberent ideam perfectionis vitæ, vitam, moréſque eius, quos ſemper inſpiceret, quos corrigeret, formaret: & certè nihil Euangeliſtæ deſcribunt, quod non dictum geſtúmque ſit vel cum Apoſtolis, vel coram illis; & bona etiam eorum pars ad eos ſpectet: tanto ergo eos ſtudio inſtruxit, vt bene comparatos, & in ſinu ſuo quodammodo formatos, ſuique quam ſimilliмos in orbem mitteret, & in illos propagaret miſſionis illius ſuæ è ſinu patris iura, prærogatiuas, & officia inter quæ illud potiſſimum, vt vexillum perfectionis Euangelicæ ſibi traditum erigerent in mundo, & mundanæ ſuperbiæ diuitiarúmque & honorum cupiditati omnem æſtimationem detraherent.

Quartum punctum, fecerunt id ſtrenuè Apoſtoli; & ſucceſſoribus ſuis quam acceperunt perfectionem tradiderunt, & illi aliis ad noſtra vſque tempora, quibus, ſicut quibuſdam aliis prioribus ſæculis cum obſcurari nonnihil & minoris fieri videretur ipſa perfectio, miſit Deus viros Apoſtolicos qui eam in ſe expreſſam mundo iterum repræſentarent, & dato veluti claſſico ad vexillum Chriſti homines à Dæmonis vexillo reuocarent, inter quos B. P. Ignatius & ſocij aliquam etiam Eccleſiæ Dei operam præſtiterunt, & per eos non tantùm in ſocietatem ipſa deriuata perfectio eſt, ſed & in alias etiam religiones.

Quintum punctum, atque ad hunc tantum finem nos à Deo ſingulariter electi inter multos hic fouemur in ſocietatis ſinu, partim vt quam per Apoſtolos & B. Ignatium vult Deus tranſferre in nos perfectionem, omnem omnino recipiamus,

piamus, partim vt deinde, aliis possimus communicare; nec enim satis nobis esse debet salutem aliorum procurare, sed inuitandi omnes sunt ad perfectionem, vt quam accepimus posteris tradamus.

Sextum punctum. Inchoare verò debemus à domesticis; Nam Dæmon valde conatur suum etiam inter nos vexillum erigere, non quod cupiditatem diuitiarum temporalium iniiciat, sed doctrinæ & studiorum quibus ad honores & munia honorifica fiat via, vnde tamen superbiæ & propriæ æstimationis barathro nos involuat, quod multis viris doctis & religiosis fraudi esse quotidie notissimum est: Itaque videndum est ne quid istorum locum hic habeat neque subintret, sed quam accepimus à perentibus nostris perfectionem eam sartam, imo auctiorem, si possit fieri, aliis tradamus.

De Baptismo Christi.

HActenus intra priuatos parietes sese Christi Domini conuersatio continuit, & vitæ partim contemplatiuæ, partim actiuæ quidem, sed priuatis execitiis coërcita fuit; iam vero vbi diuinæ prudentiæ placuit vt se mundo ad gloriæ Dei procurationem manifestaret, hoc tantum opus à Baptismo Ioannis inchoare voluit, vt ei qui aliorum saluti vacare cupit necessariam esse tum puritatem animi, tum humilitatem profundam, tum denique cum Deo aliisque vnionem, insinuaret.

Est

Eſt autem notandum quod quamquam Chriſtus Dominus tota ſe vita ad hoc opus pararit, voluit tamen immediatè antequam illud aggrederetur, hanc & quaſdam alias quæ ſequuntur præparationes præmittere vt intelligamus non ſatis eſſe vitam nos multis annis in religione egiſſe & in variis probationis modis in humilitate, obedientia, mortificatione eſſe exercitos, ſed requiri præterea vt confectis ſtudiis, & ſcientiarum, virtutúmque inſtrumentis paratis, cum opus ipſum inſtat, aliam immediate præparationem præmittamus, & ſolidiora virtutum præſidia comparemus.

Nam quamquam in priuata noſtra vita ſi eius perfectionem conſequi poſſimus, magnæ planè virtutes requiruntur, eæ tamen ſatis robuſtæ eſſe non ſolent vita pro mixta, vt proximi ſalutem ad Dei gloriam procuremus, tum ob innumera pericula, quæ vitam illam circumdant, tum ob tam ardui negotii difficultates quæ maioris ſanctitatis vim requirunt. Excellens enim omnino debet eſſe humilitas quæ functiones adeò excelſas & honorificas, diuina etiam opera conuerſionis aliorum, imo & nonunquam miracula ſine periculo & cum proximi ædificatione fulciat. Obedientia planè admirabilis quæ in tã magnis rebus gerendis in tanta ſapientia, prudentia, experientia, auctoritate, nihil ſuæ voluntati, nihil proprio iudicio tribuat, ſed ſeſe alteri prorſus committat, atque ita de aliis virtutibus. Merito ergo Chriſtus Dominus ad tantam procurationem nouo ſe modo comparat.

MEDITATIO II.

De Baptiſmo Chriſti Math. 2.

PRimum punctum. Matri valedicens è Nazaret, ad Iordanis flumen ſe contulit, vbi tunc Ioannes Baptizabat.

Secundum punctum. Baptizatus eſt à Ioanne excuſante ſe primùm de indignitate, ſed compulſo his verbis, ſine modo, ſic enim docet nos implere omnem iuſtitiam.

Tertium punctum. Deſcendit Spiritus ſanctus ſuper eum, & vox de cœlo ſic atteſtans (hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacuit.)

Perpendenda hic tria.

PRimum eſt quod etſi Chriſtus Dominus vtpote omnis puritatis & ſanctitatis fons & veri Baptiſmi inſtitutor, nullo modo hominis Baptiſmate, quod ad excitandam dumtaxat in pectoribus contritionem valebat, indigeret; tamen voluit eo Baptizari, vt ſignificaret eum qui aliorum ſaluti vacare cupit, ita perfectæ puritatis debere eſſe amantem, vt nullum planè eius augendæ medium omittat, quantumuis ſe egere minimè putet: ſunt enim qui in priuata vita diligentes eſſe ſolent in vſitandis puritatis inſtru

inſtrumentis,examine,confeſſione,pœnitentiis,verum poſtquam ad alios adiuuandos applicarunt ſe, quaſi iis non egeant,ſenſim ea inſtrumenta parui faciunt, cùm tamen ipſi eo tempore maximè egeant.

Secundum eſt quod voluerit Chriſtus à Ioanne baptizari, idque duabus de cauſis. Primò vt exemplum profundæ ſuæ humilitatis, qua ſe inferioribus in re tanta, nimirum ad virtutem & ſanctitatem pertinente, quaſi S. Ioannes eo ſanctior eſſet, ſubiecit, nobis ab initio ſuæ conuerſationis ederet; ſic enim erant homines conciliandi, ſic Deus hac veluti arte & machinâ aduocandus, & ad operandam aliorum ſalutem & perfectionem applicandus. Secundò expediebat eum Ioannis Baptiſmum & vitæ inſtitutum ac miſſionem etiam ipſo facto probare, vt omnes intelligerent nulla in re à ſe mutuò, Chriſtum & Ioannem diſſenſiſſe, atque ita tantâ doctrinæ & inſtitutorum conſideratione Chriſtique approbatione Ioannis vita, ac miſſio, atque teſtimonium de ipſo Chriſto redderetur efficacius. Ita certè oportet ſi Ieſum ſequeris, & omnibus aliis in Eccleſia ex Dei miſſione laborantibus cedere atq; ſubiici, & omnium labores & inſtituta approbare, imo etiam exemplo tuo promouere; Nec enim egebat Ioanne Chriſtus, at tu omnium & conſilio & auxilio indiges, præcipuè verò prælatorum & ſanctorum virorum, quales ſunt alij religioſi.

Tertium eſt quod Chriſtus tum Baptiſmo ipſo, tum oratione quam in Baptiſmo & ſtatim poſt illum fudit, dedit patri ſuo occaſionem, tum voluntatem ſuam circa negotium ſalutis humanæ procurandũ ſignificandi, tum palàm miſſionẽ eius

eius approbandi, cum dixit. Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Non egebat quidem Christus Dominus hac sensibili missione, verùm quoniam ad promulgandam hominibus legem gratiæ missus erat à patre, conueniebat certè authenticum eius missionis testimonium hominibus ipsis à patre dari. Quare Sanctus Ioannes tantæ rei testis huius Christi missionis sæpe apud Scribas & Pharisæos mentionem fecit. Sunt expendenda hæc Dei mittentis verba, vt & ad Christum audiendum exciteris & intelligas, si Dei negotium agere inter homines velis, opus esse tum vt interno Dei testimonio tibi dicatur, quod sis filius Dei, tum vt etiam à Dei vicario tuo superiore rite mittaris, & ab obedientia prorsus prodeas; tunc enim vtiliter audieris, si Deus mittens dicat, ipsum audite.

De solitudine & tentationibus Christi.

ACcepto authentico missionis suæ testimonio Christus non statim vel Hierosolymam vel ad aliam ciuitatem prædicaturus pergit, sed monente & impellente patris sui spiritu relicta ad Iordanem multitudine, pergit in solitudinem vbi oratione, ieiunio, vigiliis fugâ parat se tum ad missionis suæ munus exequendum, tum ad eas tentationes propulsandas quæ excelsas & honorificas functiones tanti officij solent debilitare, eneruare, impedire, inutiles reddere: perti-

net ergo hoc Christi exemplum ad eam dispositionem quam necesse est esse in eo, cui commissum est munus aliorum salutis & perfectionis procurandæ si sui etiam curam habere velit.

MEDITATIO III.

De tentationibus Christi. Math. 3. & 4.

PRimum punctum. Post baptismum secessit in desertum Christus & ibi per dies 40. & totidem noctes ieiunauit.

Tertium punctum. Ter ab inimico tentatus est. Accedens tentator dixit. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant; Mitte te deorsum; Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

Tertium punctum. Angeli accesserunt & ministrabant ei.

Tria hic sunt perpendenda.

PRimum quod ei qui non solum suæ salutis & perfectionis curam habet, sed ad alios iuuandos à Deo vocatus est, solet ea imprimis tentatio infensa esse, quod cum adeo vtilis sit aliis curam maiorem corporis habere debeat, atque ita mortificationes consuetas prorsus omittit, quædam commoda quæ tale, singularitatis in victu,

ctu, veſtitu, habitatione amat, ab illis vult lautè & indulgenter tractari, ſui curam haberi, omnia non tantùm pro neceſſitate, ſed etiam aſſatim ſibi vltro ſuppeditari, timet quæcumque dura & corpori aſpera apparent, prætextu, vt dixi, boni zeli, quaſi ad maiorem Dei gloriam pertineat; contra illuſionem Chriſtus iam hominum doctor à patre palam datus, impellente Spiritu Sancto, relicto mundo in ſolitudinem lacum aſperum & aëris iniuriis patentem, ad ieiunia, ad vigilias, ad humicubationes contendit, vt intelligamus non tantùm priſtinas pœnitentias ei qui alios docturus eſt non eſſe omittendas, ſed potius augendas, & caſtigandum corpus, atque in ſeruitutem redigendum, ne forte cum aliis prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur. Quamquam enim diſcretione magna vtendum ſit, tamen quantum in ipſo eſt, etſi Deus id permittat, ei potius inclinandum eſt ad ea quæ incommoda ſunt, & carni moleſtiora, in quibus exercitiis dum vacabit, inſtabit ſemper Dæmon, vt & oblata ab externis corporis commoda admittat, vel vt pro ſuo veluti iure à Deo aut hominibus inordinate quærat; Dicet enim ſi Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant, hæc enim Filio Dei, hæc concionatori debentur, iam palam renunciatus es Dei Filius, tale accepiſti munus, cúr ergo id non tibi curabis. Cui ſuggeſtioni reſponderi debet, id quod Chriſtus Dominus: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei, nimirum vitam illam ſuam Domino Deo ſuo, cui ſeruit, curæ eſſe, illius proinde prouidentiæ ſe credere, qui inſuauibus, vili-

bus, mali ſucci, imo venenatis cibis, imo ſine vllo cibo, ſi quando ei placeat, poteſt viram noſtram viréſque ad ſuum obſequium idoneas conſeruare, ſibi proinde nihil curandum eſſe, ſed nihil etiam ſibi à Deo, vel à quoquam deberi, certum quamdiu ita volet Deus, in eo rigore perſeuerare, poſſe Deum quando opus erit, neceſſaria, imo commoda ad victum ſiue miraculo, ſiue inordinaria cura ſuppeditare, ſi enim vllus homo licet maxime vilis & deſpicabilis non in ſolo pane viuit, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei, quomodo Deus non habebit curam filij ſui ſiue miniſtri.

Secundum eſt quod altera tentatio quæ eum inuadit qui alios iuuare parat, eſt vanitatis & præſumptionis; Nam vbi primum tantum munus accepit, ſi ſibi non caueat ſtatim proſilit ad quidvis audiendum & maiora perſæpe ſuis viribus, non ſolùm inutiliter, ſed etiam periculosè aggreditur, & licet verè à Deo deſtinatus ſit ad externas functiones, &, ſi expectet ſeque applicari ſinat, vtilis ſit futurus, tamen ſi ſe præcipitet, , ſi Deus ſolum ad Catechizandum vel aliud ſimile munus deputet, ipſe concionari volet, ſibi nocebit plurimum, & Dei gloriæ, ergo quamuis Chriſtus iam eſſet proclamatus mundi doctor, &, meritò ad docendum exire potuiſſet, diuinus tamen ſpiritus vt nobis exemplo eſſet in ſolitudinem prius illum abdidit, vt illo interuallo quaſi doceremur, quomodo accepta authoritate temperatè, & non ſtudio vanitatis vtendum ſit. Contra verò malus ſpiritus abditum in ſolitudine Chriſtum rapit, & non tantùm eum impellit, vt eat Hieroſolymam, ſed per aërem defert in

ſublime

sublime pinaculum templi, vt ab omnibus cerneretur, & coram populo se præcipitaret, eóque miraculo vanam populi gloriam captaret: verum vt notat alicubi Sanctus Thomas, & Chrysostomus, cum Dæmon putaret Christum, quem coram populo per aëra ferebat à populo videri, ipse Christus suæ solitudinis amans inuisibilem se fecit, ita sanè vanitatis spiritus suadet aliquando sine vlla consideratione, studio potius propriæ æstimationis quàm Dei gloriæ ad conuersationem cum proximo progredi, imo ad maiora viribus conuolare, & sine vlla prudentia & discretione cum magno periculo & iactura gloriæ Dei & salutis nostræ, ex pulpito præcipitare aliquas conciones: vtendum ergo Christi exemplo, & primo quidem Spiritus sancti, & obedientiæ motus expectandus & tempus probationis nostræ atque solitudini nostræ deputatum, tribuendum: mirum sanè est quod de Christo dicatur, hic est filius meus, ipsum audite & tamen mittatur in solitudinem, nam quomodo in solitudine audietur? verum tribuendum ei fuit tempus à Deo destinatum, deinde ad humiliores potius functiones veniendum, quales sunt doctrinam Christianam tradere pueris & rudibus, visitare Xenodochia, audire confessiones pauperum, quæ scimus à B. P. N. commendata omnibus, quos primum aliquò mittebat: sic enim vbique societas incœpit; deinde quando Deo placebit ad actiones functiones vocare, obediamus quidem, quantum ex nobis est timidè, generosè tamen confisi in iis viribus, quas diuina prouidentia concedet, hoc qui facit non tentat Deum, nam solus superbus est qui tentat Deum.


Tertium est quod tertia tentatio quæ solet aggredi eum qui proximo vacare parat, est ambitionis & auaritiæ. Nam Euangelicæ functiones magnam ad comparandas diuitias & mundanos honores opportunitatem præbere possunt. Quare Christus Dominus vbi primum mundi factus est doctor, relicta multitudine quæ à Sancto Ioanne audierat eum esse Messiam, sicut posteà, ne Rex fieret, fugit in solitudinem, vbi in summa rerum omnium inopia, sine lecto, sine tecto, sine cibo, sine vlla societate 40. diebus mansit, donec elapso populo suauiter mundo sese manifestaret, & quidem illâ suâ fugâ exemplo Christus fuit omnibus, honores omnes mundanos fugiendi quantum in ipsis est; contrà verò Dæmon assumpsit eum in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eius, & ait. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. sic enim nonnunquam nostra solitudine & fuga, nos in superbæ curiositatis montem defert, & carnalibus oculis mendacem honorum mundi gloriam offert, suadétque intueri à longe, quid deinceps facturi simus, ad quæ officij peruenturi, imo aliquando sinistras quasdam vias demonstret, quibus domesticorum, Superiorum, externorum gratiam & æstimationem aucupari possimus, vt ad tale vel tale officium tandem perueniamus; sed quod Christus: vade, inquit, Sathana: scriptum est enim Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies; eodem planè modo nos conuenit huic tentationi repugnare & quidquid de futuris nostris occupationibus & officiis vel à Dæmone, vel à quoquam alio suggeritur, illud generoso animo repellere, nósque diuinæ pro-

uidentiæ

uidentiæ committere,id solum nobis proponentes vt Deo soli,non nobis,non nostræ gloriæ, non cómodis,non mundo seruiamus & placeamus,certi plane nihil in tota vita aliud quærere,quam quod ipse volet,siue nos in abiectis officiis perpetuo retineat,siue ad alia vocet, in quibus etiam aliud nihil quam illi perfectiùs pluráque pro eo pati semper desideremus.

Meritò Christo Domino sui & Dæmonis victori Dei prouidentia cibos mittit per Angelos,qui & illi ministrant,atque eum honorant;sic etiam solet eadem strenuis operariis,& nihil nisi bonum gloriæ eius quærentibus prouidere cibum in tempore, & eorum authoritatem apud homines tueri , aut saltem Angelis ipsis gloriosos & honorabiles efficere.

Has porrò tentationes(quas Christus in solitudine ita expresse passus est vt nos melius erudiret) toto vitæ tempore,nisi se initio perfectè vicerint, pati solent ij qui in proximorum salutem incumbunt,adeò vt necesse sit illis solitudinem sæpe petere atque ad Christi arma, orationem,ieiunium, mortificationes confugere.



De vocatione Apostolorum.

HIs igitur comparatis Christus Dominus ad opus sibi à patre impositum aggreditur : sicut autem potuisset sine vlla cunctatione & externa hac præparatione ad mundum docendum accedere , ita solus tantum negotium peragere poterat , verùm quia verus homo erat , & humano modo sese in omnibus gerebat, ordinariæ Dei prouidentiæ se submisit , qua solet Deus non simul omnia, non vi & imperio,sed pedetentim & suauiter, modísque ordinariis perficere , atque adeò homines per homines iuuare. Itaque inter eos omnes , quos cœlesti doctrinâ imbuit , elegit 12. quos sibi peculiares tanti operis socios , & paternæ gloriæ procurationis successores esse voluit.

MEDITATIO IV.

De vocatione Apostolorum.

PRimum punctum:videntur sancti Petrus & Andreas fuisse ter vocati,primum ad solam quamdam Christi notitiam Ioan.1. Deinde ad sequelam solum temporaneam,cum animo reuertendi ad piscationem.

Secundum punctum : vocauit filios Zebedæi

Matth.

Matth. 4. & Philippum Ioan. 1. & Matthæum Matth. 9.

Tertium punctum, vocati ſunt reliqui licet de quorumdam vocatione & de ordinevocationum expreſsè mentio non fiat in Euangelio.

Tria hic perpendenda

PRimum eſt ad quid eos elegit, nempe vt ſibi ſocios aſſiduos haberet ſuo ſemper lateri adhærentes, ſuos familiares & domeſticos quibuſcum ſua ſecreta communicaret, quorum curam haberet peculiarem, quos præ cæteris omnibus erudîret, & vitæ ſuæ ſanctitate imbueret, atque ita ad patris ſui gloriam in mundo publicandam è ſinu mitteret: nam tanti negotii pro quo venerat eos fecit ſocios & participes, vt non iam vel tolerandæ vitæ, vel pecuniis vel honoribus adipiſcendis vacarent, non terreni alicuius regis obſequiis ſeruirent, ſed in vna Dei gloria amplificanda, & animarum ſalute & perfectione, Deo ipſi & Chriſto cooperatores, quæ certè ſuprema eſt dignitas, & exellentiſſima rationalis creaturæ occupatio. Poſuit igitur, inquit Apoſtolus 2. ad Corinth. 5. in nobis verbum reconciliationis: pro Chriſto ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.

Secundum eſt, quales erant Apoſtoli quos Chriſtus elegit; nam relictis nobilibus, potentibus, doctis, Phariſæis & Scribis qui ſanctitate videbantur eminere, elegit 12. pauperes, rudes, indoctos, vili opificio vitam tolerantes, hominibus

minibus despectos, non solum quia Christus humilis humilium societate & simplicitate gaudebat, sed quia hæc eorum humilitas maxime erat necessaria tanto muneri, ne ad excelsa adeo opera vocati superbirent, & suam electionem vel opera tribuerent suæ nobilitati, diuitiis, doctrinæ sanctitati, sed potius de se nihil præsumerent. Quare si quos diuites, & doctos vocauit, ij erant magni peccatores. Præterea erant assueti laboribus quos in Euangelii prædicatione tolerare necesse erat. Tertio denique elegit illos. 12. qui prius quando illos vocauerat, fuerant valde obdientes, & vocati à Christo magna cum proprii iudicii & voluntatis, amoris proprij, vel creaturarum aliarum abnegatione, non obiicientes domesticas curas, & negotia; vel parentes, nihil excusantes, nihil tergiuersantes, sed Christi vocatione confisi, exciso omni alio amore alacriter, promptè, sine vlla dilatione, omnibus pro vt erant relictis continuo secuti erant eum. Talem te esse oportet si te Deus ad tantum munus elegit. Etsi enim aliquando do ctos & nobiles eligat, tamen vel sunt humiles, & laborum tolerantes & valde obedientes, vt vtiles & apti ad tantum officium esse possint. Nihil enim ita aduersatur gloriæ Dei procurationi, quàm nimium de se præsumere, in se confidere & sese æstimare, præcipue in spiritualibus functionibus, quarum efficacia à Deo solo, in cuius manu sunt corda, dependet. Gloriam, ait, meam alteri non dabo. Ideo quæ stulta sunt mundi elegit Deus vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea

ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, & non glorietur omnis caro in conspectu eius, sed) vt scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur. Pari modo elegit Dauid contrà Goliath. 1. Reg. capite 17. vt sciat (inquit) omnis terra quia est Deus in Israël, & nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus; ipsius enim est bellum, & paucos Gedeonis milites. Iud. 5. Ne glorietur, inquit, contra me Israël, & dicat: viribus meis liberatus sum.

Tertium est quomodo eos elegerit: nam post traductam in continua oratione totam noctem, mane vocatis ad se discipulis plenus diuino lumine & incensus gloriæ diuinæ & patris voluntatis adimplendæ desiderio coniectis in eos oculis ex iis elegit quos voluit, quos æterno patris sui decreto sibi socios esse destinatos intellexit: dubium non est quin Christus Dominus in ea oratione non pro solis Apostolis deprecatus sit, sed pro iis omnibus, qui ad idem munus adsciti sunt, & in posterum adsciscentur in Ecclesia. Nam habet omnia tempora, omnésque homines coram se, & pro patris sui gloria & voluntate, te etiam cum cæteris ad hanc viuendi formam tunc deputauit, cum nihil adhuc esses. Vide ergo ne tanto in Dei amore, & Christi Domini electione ac dignatione indignus & ingratus existas. Agnosce etiam quod cum de te omnino diffidere debeas, necesse plane est, vt valde confidas in Deo & Christo. Nam ad res tantas agendas Dei potentia, sapientia, bonitas tecum est, omne Christi meritum, & gratia electionis & vocationis tuæ,

tuæ,tibi deesse nõ potest,fiduciam,(inquit B.Paulus 2,ad Corinth.) talem habemus per Christum ad Deum,non quod sufficientes simus cogitare aliquid de nobis quasi ex nobis,sufficientia nostra ex Deo est,qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti.

MEDITATIO V.

De octo Beatitudinibus.

SIc igitur electos Apostolos Dominus ad finem tam arduum antequam eos mitteret singulari studio perfectionis Apostolicæ summam eos bonus magister edocuit,vt eam suo pariter exemplo & aliis traderent.Hæc summa continetur in sermone Domini in monte habito, præcipuè verò in octò Beatitudinibus,quæ sunt veluti 8. principia vitæ Apostolicæ.

De sermone Domini in monte habito Matth.5.

PRimum.Ad dilectos suos discipulos octo Christus beatitudinis genera exposuit.Beati pauperes spiritu,mites,qui lugent,qui esuriunt & sitiunt iustitiam,misericordes,mundo corde ,pacifici,qui persecutionem patiuntur.

Secundò Eos hortatur, vt acceptis donis seu talentis vtantur rectè:sic luceat lux vestra coram hominibus,

hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.

Tertium. Ostendit se non soluere legem, sed adimplere, explicatis præceptis de vitando homicidio, furto, fornicatione, periurio, & de diligendis perpetuo inimicis. Ego autem dico vobis; diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos.

Primum præludium erit ponere sibi ante oculos Christum, vitæ eius perfectionem significantẽ verbis & modo dicendi efficacissimis, & zelo Apostolorum animis imprimere conantem intime perfectionis Euangelicæ summam, & audire patris æterni vocem in alio monte mihi dicentem. Hiç est filius meus dilectus, ipsum audite.

Secundum præludium. A Deo petere gratiam vt ita aures cordis mei aperire queam, vt Christi tanti legislatoris, tanti magistri verba altissimè menti meæ impressa defigantur.

Primum punctum. De prima beatitudine: beati pauperes, & humiles spiritu. Paupertas hæc consistit primo in perfecta rerum omnium renunciatione, & abdicatione omnis affectus circa temporalia. Secundò in reali etiam expoliatione, & omnium abiectione propter Christum. Tertiò in tolerantia cum quid nobis deest, circa victum, vestitum, quod vel ad decentiam vel ad commoditatem, vel etiam ad necessitatem Deo aliquando ita permittente spectat. Humilitatis verò consistit in vili sui æstimatione, in honorum & gloriæ reiectione propter Deum, in contemptu sui admittendo. Perpende etiam hîc & in sequentibus Beatos dici, non qui vnum tantùm actum, earum virtutum fecerunt, sed qui pauperes spiri-

tu ſunt, & mites ſpiritu &c. adeo vt ex certa electione & habitu tales ſint.

Secundum punctum, beati mites qui primo impetum iræ tum externum tum internum comprimunt. Secundò omnes contentiones vitant, & aliis facilè cedunt, omnibúſque ſeſe affabiles & faciles præbent, non alios mordent, non rident, non reprehendunt, vel ſi ex officio id agant, non ideo inflantur, non imperiosè, non turbulenter id faciunt. Tertiò contempti ferunt æquo animo, & obliuiſcuntur iniuriarum, tantúmque abeſt vt læſi par referant, vt etiam parati ſint offerre alteram maxillam. Quartò non vno in loco aut tempore, non tantùm, erga ſuperiores & æquales, ſed erga omnes illam manſuetudinem præſtant.

Tertium punctum. Beati qui lugent primo peccata ſua & miſerias, item aliorum. Secundò qui carnem ſuam mortificant & crucifigunt, ac proinde leuitates omnes, luſus iocúmque & riſus indecentes errorem reputant, & deceptionem quæ multis ſæpe illudit.

Quartum punctum. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, qui reputant cibum ſuum eſſe facere Dei voluntatem, & Superiorum, propriæ plane renuntiando, leges & regulas obſeruare, & tam aliis quam ſibi quod iuſtum eſt rependunt magna auiditate, licet aliquando id amarum videatur. Secundò ſuam toto corde perfectionem deſiderant & ea exercitia quibus conſeruatur Dei amor, quæ vera eſt iuſtitia non ſecus atque famelici, & ſitibundi cibum & potum appetunt. Tertiò eamdem modo proximo optant & procurant.

Quintum

Quintum punctum. Beati miſericordes qui nimirum miſerias proximi quaſuis ſiue temporales ſiue ſpirituales, aut circa famam & honorem, intelligentes extincta omni inuidia, primo quidem illis ex animo & ſincere compatiuntur, & alienas miſerias non ſecus atque ſuas ſentire aſſueſcunt. Secundò, etiam eoſdem iuuant & omni ope ſubleuant quantum poſſunt, non verbo tantùm, ſed reipſa, ſaltem Deum pro illis orando ſiue illi ſint amici, ſiue extranei, ſiue etiam inimici benedicentes maledicentibus, & benefacientes affiicientibus, vt ſint perfecti & miſericordes ſicut pater cœleſtis.

Sextum punct. Beati mundo corde, qui primo non à mortali tantum culpa, ſed à veniali etiam, quantum poſſunt purum ſeruant, ſic vt quemadmodum oculi ne minimum puluerem, ita eorum cor ne minimum peccatum, præcipuè fœditatis ferat. Secundò. Et præterea illud ipſum purum, & ſanctum deſideriis Deo ſeruiendi & placendi in tota ſimplicitate ornant. Tertiò denique hanc mũditiem & ſimplicitatem non tantùm cum Deo conuerſando, ſed etiam cum hominibus, ſine vlla duplicitate retinent.

Septimum punctum. Beati pacifici, qui primo ſeipſos pacificant, carnem ſpiritui, paſſiones rationi, animam Deo ſubiicientes. Secundò, cum omnibus, quantum in ipſis eſt, pacem habent ipſi, & vt inter ſe alij reconcilientur ſumma diligentia & zelo procurant. Tertiò, qui animas à Deo alienas cum eo reconciliare toto animo conantur, vt omnibus Deo ſubiectis ea pax vigeat, quam Chriſtus verè Rex pacificus in mundum intulit.

Octauum

Octauum punctum. Quia in horum omnium executione, & pro conseruatione harum virtutum multa ordinariè sunt ferenda ab amicis, ab inimicis, à mundo, à Dæmone, & magnæ contradictiones sustinendæ, ideo concludit quod Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam.

Colloquium pro affectu.

Pater Aue

Ad considerationem de tribus modis humilitatis.

Quis sanctitatis & perfectionis gradus vitæ Apostolicæ sit proprius.

EST ergo propria sanctitas non solùm Deo gloriæ, sed etiam proximo vtilitati ad cuius salutem & perfectionem medium est præcipuum: verum cum varij sint perfectionis gradus, iam est dispiciendum, quis ille sit qui vitæ Apostolicæ magis conueniat, vt intelligamus quò aspirare debeamus. Proponitur in consideratione de tribus modis humilitatis. Licet enim humilitas non sit formaliter perfectio, est tamen ei ita connexa, vt iidem in perfectione gradus inueniantur, qui in humilitate designantur, Sicut dicebamus supra de mortificatione & proprij amoris abnegatione: potest verò hæc meditatio peti ex libello

præmissis

præmiſſis præludiis quæ hic ſequuntur, quia tamen breuiora ſunt ea puncta quæ in libello extant, non erit inutile vt meliùs penetrari poſſint, quæ hic ſubiiciuntur 4. puncta percurrere.

Primus humilitatis hic modus eſt ad ſalutem neceſſarius, vt me penitus ſubdam diuinæ legi obſeruandæ, vt ne quidem mundi totius oblato dominio, vel extremo vitæ diſcrimine obiecto, trãſgrediar ex deliberato mandatum vllum diuinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.

Secundus eſt maioris perfectionis, vt fixo animo ad diuitias, paupertatem, honorem, ignominiam, breuitatem vitæ, & longitudinem æque ſim propenſus, vbi æqualis eſt diuinæ laudis & meæ ſalutis occaſio, vt nullâ vel humanæ cuiuſcunque fœlicitatis, vel propriæ mortis conditione propoſitâ adducar vnquam, vt culpam licet venialem tantùm, decernam admittere.

Tertius eſt modus humilitatis abſolutiſſimæ, vt priores duos iam adeptus etiamſi nullo ſuperaddito laus Dei par foret, ad maiorem tamen imitationem Chriſti, eligam potius cum eo paupere, ſpreto & illuſo paupertiem, contemptum, & inſipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem. Porro ad gradum hunc humilitatis attingendum magnum adfert compendium triplicis colloquij præcedentis de vexillis vſus, per quod ſuppliciter poſcamus (ſi placeat diuinæ benignitati) ad talem educi electionem, ſiue maior ſiue æqualis obſequii mei erga Deum & gloriæ diuinæ prouentus ſubſit.

MEDITATIO VI.

PRimum præludium ſtare cum diſcipulis, & audire Chriſtum eis dicentem. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.

Secundum præludium, vt à tanto magiſtro diſcere poſſim non intelligentiâ tantum, ſed imitatione, quæ ſit illa cordis humilitas, quam me docere voluit.

Primus modus humilitatis, vt ita me ſubdam diuinæ legi & voluntati, vt malim etiam mori quam mortaliter peccare, circa quam expende.

Primò. Quàm ſit rationi conſentaneum vt homo vile mancipium, & miſella creatura Domini, & Creatoris ſui, & Regis regum, æternæ, puriſſimæ, immaculatæ legi, & ſanctiſſimæ voluntati, à qua velit, nolit, neceſſario pendet, voluntariè & liberè ſe ſubiiciat, voluntatem ſuam, regulam nimirum plumbeam, & erroris plenam prorſus ſubmittat eius voluntati; & omnia ei ſua bona externa, & vitam ipſam poſtponat, nihilque præ illa magni faciat, ſi enim Reges terræ leges ſuas ſeruari volunt, cur non ipſe?

Secundò. Cogita id eſſe hominibus valde vtige: Primò enim ſic debitum ordinem ſeruant Deo ſe ſubdendo. Deum time & mandata eius erua: hoc eſt enim omnis homo, ait ſapiens. Secundò pace & quiete fruuntur; ſeruantes enim legem ab ea ſeruantur: nam quis reſtitit ei & pa-

cem

cem habuit? Subtraxit se superbus Angelus, & primus homo, & in quæ mala pœnásque inciderunt, vt & alij qui eos sequuti sunt. Tertiò hæc humilis subiectio Dei amicitiam conciliat & conseruat, quæ diuinæ consortem naturæ hominem efficit, & innumeris eum bonis implet.

Tertiò. Cogita quomodo Christus Dominus sese legi patris subiecit, nam cum Adamus eam postposuerit vxoriis blanditiis, proprio commodo, & excellentiæ Christus Dominus vt nos exemplo suo doceret quanti sit facienda, amplexus est paupertatem, labores, ignominiam, & omnia bona vitámque propriam patris legi & voluntati postposuit, humiliauítque semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis, vt (inquit) cognoscat mundus, quod ego diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, ego facio: surgite eamus.

Quartò. Eodem modo sancti Martyres qui pro lege Dei certarunt vsque ad mortem quam omnibus mundi bonis & malis postposuerunt, nam in eorum certaminibus tantum id agebatur, vt Dei legi & amicitiæ quæ offerebantur bona vel mala præponerent: audierant enim à Christo, qui non odit Patrem, & matrem &c. & meminerant illius S. Pauli. Quís nos separabit à charitate Christì?

Quintò. Alij pariter omnes sancti omnia ei posthabuerunt: ideo enim mundum fugerunt, bona omnia reliquerunt, abdiderunt se in solitudines, vitam traduxerunt cum summa corporis mortificatione: Vide Benedictos, Bernardos, Franciscos à carne sollicitatos contra legem Dei in niuibus, glacie & spinis se volutan-

tes, & scies quomodo legem Dei & amicitiam pluris fecerint quàm se.

Sexto. Perpende hunc humilitatis gradum esse ad salutem necessarium; nam qui amat animam suam plusquam me, non est me dignus, ait Dominus; Et quid prodest homini si totum mundum lucretur &c. Item si oculus tuus te scandalizat, erue ipsum & proiice abs te: vnde in eo consistunt ordinariè boni sæculares, qui ordinariè altiùs non assurgunt, quia rei familiaris sollicitudo cor eorum diuidit, & affectus nonnulla terrenarum rerum cupiditate maculat, in eodem sunt religiosi omnes qui ideo mundum reliquerunt, vt occasiones fugerent Deum offendendi.

Age ergo Deo gratias quod singulari eius beneficio diuina perfusus luce mundum reliqueris, omniaque contempseris, vt te legi eius subiiceres, téque totum ei traderes.

Secundus modus; ita me subdam diuinæ legi & voluntati, vt malim etiam mori quàm venialiter peccare deliberatè, vbi,

Primò potes considerare quam sit rationi consentaneum, vt ne in minima quidem re homo Dei & Creatoris sui vt Filius amantissimi Patris voluntatem violet, quæ pluris facienda est quàm creaturæ omnes simul; cùm enim in perfecta legis & voluntatis Dei adimpletione consistat eius gloria, & minimam eius gloriam iusta prudentique ponderatione quisque æstimet & præferat cuicumque bono creaturarum omnium, adeóque vitæ propriæ, certè iustissimè pluris nobis faciendum est veniale peccatum quam vita etiam propria, ac proinde quã propria fama, honor, dignitas, quæ omnia minimæ Dei gloriæ cedere debent.

Secundò

Secundò. Quantæ ſint miſeriæ illorum, qui licet à mortalibus decernant cauere, tamen venialia parui pendent: nam non habent tantam conſcientiæ pacem & tranquillitatem, cum ſemper vulpeculas & latrunculos domi foueant, non eſt cum Deo amicitia adeò ſecura & quieta, quem etſi ex corde expellere minimè vellent, tamen ibi ſuis paſſionibus voluntariè illudendum committunt & conſpurcandum; quare deſtituuntur vt plurimum particularis prouidentiæ Dei fructibus, carent illis conſolationibus, illo lumine ſpirituali, illo robore & fortitudine ſpiritus ſæpe neceſſario ad reſiſtendum tentationibus, quibus plerumque faciliùs cedunt, denique aliis vt plurimum malæ ſunt ædificationi.

Tertiò. Cogita ſanctos omnes alieniſſimos fuiſſe ab ea laxitate vitæ.

Quartò. Perpende eorum qui ad hunc gradum peruenerunt, & in eo conſiſtunt, duas conditiones. Prima eſt eſſe eos indifferentes ad bona & mala indifferentia, quod inde prouenit quia intentio & affectus illorum eſt purior, nec vllis creatis adhæret. Nam intendunt tantum Dei gloriam, vt formale obiectum omnium deſideriorum: quare æqualiter ſeſe haberent, vbi illa æqualitas eſt, vnde etiam fit vt non velint etſi de propria vita agatur, deliberatè peccare venialiter, quia per peccatum veniale Dei gloria læditur. Secunda conditio eſt quod cum ſint indifferentes, æquè retinent voluntatem fruendi diuitiis, commodis corporis, & gloria, modò id poſſint ſine læſione gloriæ Dei per peccatũ veniale deliberatum, quod circa talia obiecta bonorum indifferentium nulla ratione volunt ex deſtinato admittere.

Verùm non ſunt adeò perefcti ; licet enim maneat id firmum propoſitum , imò nunquam de facto peccent venialiter deliberatè , tamen in mediis diuitiis, commodis corporis , recreationibus, honoribus , quæ omnia liberè admittunt cum ſuo illo propoſito, difficile eſt admodum, primò quidem plurimos defectus veniales ex ſubreptione vitare in illis occaſionibus, qui licet non ſint deliberati, tamen omnem omnino animam maculant , & eam reddunt minus idoneam ad diuinos amplexus & puriorem amicitiam Dei. Secundò pleraſque virtutes exercere quæ ab iis occaſionibus impediuntur, vnde nec tanta in proximos hinc manat ædificatio.

Diſcute num gradum hunc attigeris,an non adhæreat cor tuũ alicui bono creato;num ob gloriã, complacentiam,vanam,mendax verbum,adulatorium,ridiculum.

Tertius modus humilitatis,vt etſi Dei laus par foret, & malit tamen nudus nudum ſequi Chriſtum,eique omnino ſe conformare : vbi nota ſuppoſitionem B. P. Noſtri Ignatij intelligi debere ſi id aliquando contingat : nam vbi eſt maior Chriſti imitatio , ibi eſt conſequenter maior Dei gloria , vnde quando eſt dubium , vbi eſt maior Dei gloria, in contemptu an in honore , tutius omnino eſt pro regula ſequi Chriſti exemplum & crucem amplecti. Secundò poteſt etiam intelligi quando eſt par Dei gloria quoad peccatum, & , vt ita dicam negatiuè , quia non magis illa læditur veniali peccato quando diuitiæ & honor quæruntur, quam ſi paupertas & ignominia affligeret : tunc enim perfectius eſt longè ad Chri-

ſti crucem conuolare, quia eſt maior Dei gloria poſitiuè. Tertiò Etiamſi verè ſit par Dei laus vtrinque, imo maior videatur, vt commoda aliqua & honorem admittamus, vel obedientia exigente, vel charitate, ſemper memores Chriſti crucis, inter ipſos honores & commoda, retineamus affectum ſincerum imitationis Chriſti, & quantum ex parte noſtra eſt, reiiciamus bona hæc omnia, cum proteſtatione quod non vellemus ea acceptare, niſi eſſet euidenter maior Dei gloria. Sic poterimus & moderatè vti iis bonis, nec ab illis lædi, & proximo ædificationi eſſe noſtrâ illâ modeſtiâ,& animi moderatione. Hic eſt Spiritus Apoſtolicus noſſe abundare, noſſe & penuriam pati, & per bonam famam, & infamiam vnius Dei gloriam procurare.Sic B.P.Ignatius licet vitam in ſocietate communem,& proinde indifferentem,maiorem Dei gloriam ſemper intuendo, eſſe voluerit, tamen voluit omnes filios ſuos totis viribus concupiſcere indui Chriſti inſigniis.

Quartum punctum, Conſiderare quomodo qui ad Chriſtum vocati ſunt,omnes ad alteram horum trium modorum partem ſpectent;Nam qui in peccato mortali ſunt, omnino ad vexillum ſpectant Diaboli, licet autem omnes qui in his gradibus verſantur, ſint ſub Chriſti vexillo,non tamen eodem modo.

Nam primi ſub eo ſunt potiùs vt conſeruentur, quàm vt perfectionem Euangelicam mundo perſuadeant; experientiâ enim conſtat, ſæculares niſi ope religioſorum & aliorum perfectorum iuuentur, & fulciantur, vt caro oſſibus, ruere facilè in mortalia,& flacceſcere; imó aliquando

quando à fide cadere: similiter in religione qui tales sunt, vt sola mortalia vitare velint, nisi sustineantur aliorum exemplis, orationibus, sanctitate, inficiunt, & languidiorem reddunt ipsam religionem; quare non sunt apti vt mittantur ad alios perficiendos.

At, qui in secundo gradu consistunt, licet sint valde Deo grati, & pretiosi, tamen non adhuc omnem eam perfectionem habent, quam in iis quos ad alios idoneè & perfectè iuuandos requirit; Nam facilè illi gloriæ Dei prætextu, quæ in vita communi & indifferente aliquando potest esse par, aliquando etiam maior, vt honores & quædam similia admittantur, solent sese decipere, & plus æquo in id quod naturæ gratum vel coram hominibus honorificum est, inclinari, séque effundere, non quidem ex proposito, sed errore aliquo, & infirmitate; vnde non ita bene ædificantur sæculares nec in eo agendi modo relucet ea virtutis & gratiæ viua imago, quæ hominum animos sola capit. Ad quod animaduertendum est, Christi Domini vitam & perfectionem fuisse omni tempore motiuum efficacissimum ad perfectionem: nam cum antea iaceret incognita, Christus Dominus eius in se exprimens imaginem (quæ in eo consistit vt præ Dei gloriâ & bono, bona omnia nostra condemnemus, nihil mali nec mortem quidem & eam ignominiosissimam fugiamus) eam nobis fecit pretiosam, adeo vt Regibus etiam, & principibus sæculi postea gloriosum visum fuerit ad Dei gloriam, paupertatem, & extremam humilitatem sectari, quia Dei Filius id fecerit.

Illud etiam motiuum modo vim suam exerit

vt nos ipſi experimur in nobis quibus dulce eſt contemni & deſpici, quia eo modo Chriſtum imitamur; illud verò motiuum ſolis in Euangeliis expreſſum, licet ab omnibus legi poſſit, non tamen ita practicè intelligi: quæ cauſa eſt vt omnes viri docti non ſint etiam perfecti. Ea de cauſa Dominus Deus initio Eccleſiæ ſuæ, perfectionis ideam Apoſtolis ſuis expreſſit, in quibus eorum ſucceſſores eam legerent, & omni ſæculo noua exemplaria miſit quæ mundo apparerent, & exhiberent ex praxi illam ipſam perfectionis regulam quam ſcripto Euangelium tradit, quæ exemplaria quò ſunt Chriſto magis conformia, eò efficaciùs, & illam perfectionem docent, & hominibus perſuadent.

Quare illi propriè ſub hoc Chriſti vexillo in Apoſtolico choro militant, qui ita Chriſtum Dominum in vita communi ſequuntur, vt ſemper ſicut ipſe in corde crucem gerant, quam cùm opus eſt etiam in humeros tollunt, & ſeſe affligunt, aut affligi alacriter patiuntur.

MEDITATIO VI.

De electione, & præmonitio de ea.

BEne eligendi ratio in exercitiis ſpiritualibus à B. P. N. primum tradita, noſtris propter ſingularem eius excellentiam, vtilitatem, & ſummam neceſſitatem commendatiſſima & quam familiariſſima

familiariſſima eſſe debet; locum & vſum habet, non ſolum circa vitæ totius ſtatum eligendum, ſed etiam circa quamlibet rem & negotium ſiue ſpirituale ſiue temporale, de quo in vtramque partem hæremus dubij; ea verò hoc loco vti perutiliter poſſumus ad eligendum illum perfectionis gradum in quo Deo ſeruire in noſtro ſtatu debemus; nam ea eſt humanæ voluntatis infirmitas, vt quanquam Eccleſiaſtici omnes , religioſi potiſſimum, ad ſummam vitæ perfectionem aſpirare pro conatu maximè deberent; plerique tamen ſibi ſatis eſſe putent eum gradum etiam in religioſo ſtatu tenere qui ad ſalutem ſatis eſt; itaque modò à peccatis grauioribus abſtineant, vt Dei amicitiam conſeruent, nihil admodum præterea curant; alij ad ſecundum gradum etiam aſpirant nihil de tertio ſolliciti, denique nonnulli etiam ad tertium contendendum eſſe exiſtimant, nec verò qui in primo & ſecundo ſibi conſiſtendum putant, carent rationibus, quibus adducuntur vt credant ſibi gradum illum potius conuenire. Quare non ſine fructu magno rationes hæ, quæcunque demùm ſint, coram Deo diſcutiendæ ſunt, & inſtituenda ſeriò deliberatio eſt, vt cognita Dei voluntate, maiori conſtantiâ, & alacritate voluntas noſtra ad eum finem ſiue perfectionis gradum quem ita ſolide elegerit, contendat. Nam primum ex gradu illo & menſura perfectionis quam ſibi voluntas perſequendam proponit, deinde verò ex modo quo eum gradum intendit, tota ſpiritualis ædificatio, praxiſque perfectionis dependet.

Tres autem aſſignat B.P.N. & diſtinguit eligendi modos, quos, tempora, vocat.

Primus

Primus est cùm voluntas nostra tota quasi ardens & incensa tam euidenter & fortiter ad aliquid & sine vlla cunctatione vt ita dicam, rapitur, vt de diuina voluntate nihil dubitet, vt accidit B. Paulo.

Secundus est, cùm interno consolationum, desideriorum & diuersorum spirituum sensu ad aliquid impellitur.

Tertius. Cum per summam animi tranquillitatem, & considerato creationis & vocationis nostræ fine circa subiectam materiam deliberamus, & mẽtis discursu quærimus, quod nos maximè iuuet ad prædictum finem, adeò vt voluntas hunc ducem sequatur; licet autem in ipso exercitiorum cursu Deus nonnunquam varia lumina cõferat & variis modis voluntatem afficiat, & moueat ad hunc vel illum perfectionis gradum complectendum; atque adeò primum & secundum tempus eligendi locũ hic habere posse videatur, tamen ratum est vt id sufficiat, atque ideo tertius electionis modus est magis ordinarius, minus scilicet errori obnoxius quod lumine vtatur, eoque idcirco communiter vtendum est confirmando desideria priùs à Deo immissa. Id autem fiat hac methodo.



Electio.

Electio.

PRimum punctum erit, proferre in medium tres illos perfectionis gradus siue tres Ecclesiasticorum, siue religiosorum modos aut ordines, qui omnes sub Christi vexillo militant, adeóque salutis suæ curam habent.

Primus eorum est qui ita præcepta omnibus Christianis communia & particularia ad quæ ratione sui status obligantur, obseruant, vt ordinariè non peccent mortaliter nec damnabiliter viuant, quamuis pro humana infirmitate contingant nonnulla lapsus grauioris pericula.

Secundus eorum qui etiam venialia peccata ita vitant, vt nullum velint deliberata voluntate committere, non tamen magnopere sunt solliciti vt se ab aliis tueantur, itaque nec aspirant ad supremam vitæ puritatem & perfectionem, nec ab aliis sese abstrahunt, quibus vident se in defectus multos facilè labi posse pro sua infirmitate licet nolint.

Tertius est eorum qui supremam perfectionem verè intendunt, ita vt ad puritatem vitæ maximam aspirēt, proponántque venialia etiam quæ ex subreptione committi solent & numero & grauitate minori quantum poterant vitare, & ad perfectam Christi imitationem totis viribus contendant.

Secundum punctum. Erit attendere quem sibi finem creatoris & vocationis meæ ad hunc statum diuina voluntas proposuerit, & mihi ego pro

proponere debeam, vt Electionis huius regulam, nimirum meam & proximi salutem & perfectionem ad maiorem Dei gloriam: itaque me in æquilibrio collocabo, omnino statuam eum perfectionis gradum eligere, qui me ad illum finem magis promouebit.

Tertium punctum petam à Deo, ne mentis meæ iudicium dæmonis arte aut amoris proprii blanditiis, aut pristinæ consuetudinis odore, aut vi, aut difficultate, in fauorem naturæ inflecti, & voluntatem à maiore diuinæ gloriæ & perfectionis desiderio abduci permittat, sed dignetur me quo volet sua gratia, suo ductu, suo lumine deducere, dicámque cum Psalte. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Quartum punctum erit perpendere circa primum gradum, quænam mihi ad meum illum finem & maiorem Dei gloriam commoda euenirent; quæ item incommoda & pericula si in eo subsistam, item quæ commoda & incommoda, seu pericula, si eo non contentus vlterius aspirem: erunt autem singula siue commoda, siue incommoda scripto notanda. His peractis circa primum gradum, idem præstabo circa secundum; postea circa tertium.

Quintum punctum, conferam commoda cum commodis, incommoda cum incommodis, & mecum raciocinabor in quo tandem gradu considerato meæ vocationis & creationis fine exclusis aliis rationibus serio me constituere debeam. Quid Deus ipse à quo omnis bona electio procedit, his positis à me petat? quid ego alteri consilii darem? quid vel in mortis articulo, vel coram

Dei

Dei tribunali constitutus fecisse vellem ? & iuxta hæc electionem.

Sextum punctum, vbi conclusero, illam statim Deo offeram petámque vt eam recipiat, firmet, stabiliat, vt voluntas ita generosè & constanter ad illum perfectionis gradum contendat, vt nulla in posterum ratione ab ea dimoueri se patiatur.

Pater Aue.

Ad exercitium de tribus hominum classibus.

VBi certum aliquid de perfectionis gradu ad quem aspirare debemus constitutum est, non abs re erit considerare quam perfecta debeat esse intentio voluntatis siue desiderium ad eum perueniendi. Hoc autem vt intelligatur, vtilis erit consideratio de tribus hominum classibus. Nam hanc trium classium distinctionem efficit potissimum diuersitas intentionis. Quamquam enim qui ad Apostolicæ vitæ statum vocati sunt, omnes supremum hunc gradum perfectionis velut aptissimum & efficacissimum medium ad Dei gloriam maiorem, intendere sua ipsa professione videantur, reipsa tamen plerumque nec verè nec seriò intendunt, ea in re sæcularibus ipsis aliisque ad eum vitæ statum non vocatis peiores, quod hi ex proposito in primo vel secundo gradu subsistunt, nec perfectionem illam Apostolicam profitentur, verùm non eâ propositi & desiderij perfectione

perfectione quæ requiritur ; Quod inde prouenit quod præter Dei gloriam, & propriam perfectionem, plurimis inordinatis affectibus abundent, quibus ipſa perfectioris gradus intentio cum magno plerumque periculo opprimitur. Erit autem valde vtile in hac conſideratione repetere memoriam earum inclinationum & imperfectionum habitualium quas in nobis notauimus, tum in prima hebdomada, tum in reliquo exercitiorum decurſu ; tres quatuorue præcipuas quæ puritatem & perfectionem deſiderii perfectionis in nobis impediunt, & voluntatem retardant, ne ad Apoſtolicam illam ſanctitatem toto conatu aſpiret, ſeponere; vt deindè, ſi ita viſum fuerit, iterum inter eas electio inſtituatur, fiátque manifeſtum, quid in nobis in diuinæ gloriæ procuratione cauendum magis eſſe videatur.

MEDITATIO VIII.

De tribus hominum Claſſibus.

PRimum præludium fiat propoſitis vice hiſtoriæ tribus veluti Claſſibus ſeu differentiis, in quas videntur diſtribui homines vniuerſi, quibus cura ſalutis ſuæ aut perfectionis aliqua eſſe videtur ; exemplo trium ægrotorum qui ſanitatem exoptant, vel mercatorum qui 10. millia ducatorum Dei obſequio deſtinarunt, aut nobilium trium qui ſui ſe principis obſequiis deuouerunt.

Secundum

Secundum præludium, loci compoſitio, in quo me videam ſtare coram Deo & ſanctis, cum affectu ei quàm maximè placendi.

Tertium præludium petere à Deo gratiam quâ toto me affectu conſtituam in ea claſſe quæ ei eſt acceptiſſima.

Pimum punctum. Prima claſſis optat quidem finem conſequi intentum, ſed media & adminicula non adhibet, nam qui in ea conſtitutus eſt æger, vult ſanari, ſed omnes omnino medicinas reſpuit. Mercator voluntatem, eam ſummam in Dei obſequium nummorum impendendi conſeruat, ſed nihil exequitur, nec eam attingit; Nobilis etſi paratus videtur ad ſui principis honorem defendendum & propagandum, tamen re ipſa nihil agit; nec media quærit, imo ſi bellum ingruat; mortis ac laborum metu ſe ſubducit &c. Hi certe finem quem ſibi propoſuiſſe videntur, non verè & efficaciter intendunt.

Secundum punctum. Secunda claſſis eſt eorum qui media quidem adhibent nonnulla, ſed pro ſuo affectu; ſic ſecundus æger vult ſanari & vti medicinis, non quibus libet quas medicus iudicaret & præſcriberet, at ſolum delicatis pro ſuo guſtu. Item Mercator eam ſummam aggreditur impendere in Dei obſequium, ſed in ea opera & iis modis qui ipſi placent. Nobilis etiam honori principis ſui ſeruit, ſed modo ſine ſuo periculo, incommodóque id fiat. Hæc media iſti eligunt non tam quia media ſunt, quàm quia placent ex alio affectu, atque adeo non valde efficaciter finem illum intendunt, cum efficacia media ad illum refugiant.

Tertium

Tertium punctum. Tertia classis est eorum qui ea omnia studiosè quærunt media & amplectuntur, quæ quàm efficacissima sunt ad finem intentum. Sic Tertius æger omnia remedia quæ medicus præscribere volet, ignem etiam ac ferrum admittet; Mercator etiam totam eam summam simul à se abiicere; & in Dei gloriam impendere vnâ vice paratus est, si ad Dei obsequium requiratur, quod vnum spectat. Nobilis in vnum bonum gloriæ suæ principis intendens oculos, eius solius affectu & desiderio occupatus, oblitus suorum, suique, in pericula sese, in labores, famem, sitim &c. immittit magno animo. Atque ij soli verè & efficaciter finem illum intendere videntur. Circa has classes considerabo in quas hactenus fuerim, & in posterum esse debeam ad illum perfectionis meæ & proximorum finem prosequendum, qui mihi est propositus.

Electio.

PRimum punctum. Erit proferre in medium illas radices vitiosas, vt deliberemus quampotissimum toto eo anno expugnare contrariæ virtutis studio velimus.

Secundum punctum. Attento fine societatis, qui est perfectio propria, & aliorum, ad maiorem Dei gloriam in æquilibrio nos collocare; ita vt animo statuamus non potiùs vnam aggredi quam aliam, sed eam demum eligere quæ hic & nunc magis nos vrget, & à dicto fine auertit,

impedítque in nobis magis perfectam illam Christi imitationem & gloriam.

Tertium punctum. Petam à Deo, ne mentis meæ iudicium Dæmonis arte, aut amoris proprij blanditiis, aut pristinæ consuetudinis odore, aut vi & difficultate, in fauorem naturæ inflecti, & voluntatem à maiore diuinæ gloriæ & perfectionis desiderio abduci, permittat, sed dignetur me quò volet sua gratia suo ductu, suo lumine deducere, dicámque cum Psalte. Doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu.

Quartum punctum. Incipiam discurrere circa singulas imperfectiones, iis notatis quæ mihi occurrent etiam scripto. Hac methodo.

Imprimis primam, aliis tantisper dimissis, totus aggrediar, perinde ac si sola mihi curæ esset, & nihil omninò de aliis cogitaturus essem, totus ergo intrabo in meipsum, & quandam veluti mei anatomen faciam, vt clarè distinstéque videam.

Primò. Effectus eius non quidem omnes, quos ex sua natura solet producere, sed quos de facto in me habet; in quorum notitiam veniam facilè, si discutiam quid me faciat cogitare, loqui, omittere; Item quid delinquere contrà Deum, superiores, æquales, meipsum. Item quomodo se admisceat omnibus meis actionibus, à prima diei hora ad extremam, quos omnes defectus distinctè adhibito numero notabo.

Secundò. Perpendam imperfectionis illius vires inme, ad quam rem inuabit videre primo. An iampridem in me regnet. Secundò. An continuè regnauerit. Tertiò. An vires eius creuerint.

rint. Quartò. An & quibus mediis vſus ſim & quo fructu. Quintò. In quibus occaſionibus, locis, temporibus, & circa quas perſonas ſolet eſſe infeſtior. Sextò. Num me videntem & repugnantem aliquãdo abripiat, quæ omnia etiam notabo ſcriptò diſtinctè.

Tertiò. Conſiderabo pericula quæ inde mihi poſſunt euenire, attentâ imprimis natura meâ feruentiore elatiore &c. Secundò. Ex affectibus & viribus eiuſdem paſſionis. Tertiò. Occaſionibus quas habere potero impoſterum vocatus ad varias functiones Societatis: ſi enim modo ita graſſatur, quid erit poſtea? Quartò pericula hæc eſſe poſſunt, vel perdendæ Dei gratiæ, ſalutis, aut vocationis, aut perfectionis nunquam conſequendæ, vel difficultatum perpetuarum cum ſuperioribus & domeſticis, aut denique impediendi fructum, quem Deus fortè per me facere vellet ad aliorum ſalutem. His ita diligenter conſideratis & notatis circa primam, veniendum erit ad ſecundam, eodem modo ad tertiam, quas diſcutiã æquè accuratè ac ſi cum ſingulis tantũ mihi eſſet negotium, vnde licet occurrant mihi aliqui effectus ſecundæ vel tertiæ, quos iam repereram in prima, mihi tamen ſemper notandi ſunt, cum non ſit nouum eumdem effectum à variis cauſis pendere poſſe.

Quintum punctum. Hoc facto ratiocinabor mecum, hanc meam internam faciem oculis externis contemplans, quænam ſit macula tetrior. Primò conferendo effectus cum effectibus, vires cum viribus, pericnla cum periculis. Secundò num effectus quique ſubſcripti vere ab ea pendeant; & num directius, efficacius & immedia-

tiùs effluant ab alia præsertim cum effectus à pluribus pendet. Tertiò. Attendendo si vna radix etiamnum ab alia pullulet. Quartò denique omnibus consideratis accurate ponderabo quænam me magis à fine meo hactenùs impedierit, & imposterum plus videatur allatura negotij, & contrà eius virtutis exercitium habiturum sit plus momenti ad seriò proficiendum. In hac enim collatione & electione intuebor semper creationis & vocationis meæ finem, Dei scilicet gloriam, nullásque rationes, quæ eò non tendant, admittam, méque passim iuuabo 4. reguris à B. P. N. traditis. Prima vt cognoscam & intimo corde persentiscam bonam electionem Dei donum esse descendens à patre luminum. Secunda, Si me amicissimus aliquis super ea re consuleret, quid ei consilij darem. Tertia in mortis articulo quid me vellem egisse. Quarta iudicandus coram Dei tribunali quid in re & negotio præsenti fecisse vellem.

Sextum punctum vbi electionem iuxta prædicta conclusero, eam statim offeram Deo, petámque vt eam recipiat, firmet, stabiliat, & ad exequendum sua me deinceps gratia adiuuet.

De missis ad prædicandum Apostolis.

VBi quæ ab propriæ perfectionis gradum, intentionem, & prosequutionem requiruntur, rectè constituta sunt, sequitur vt ad aliorum salutem & perfectionem promouendam accedamus, & concessa à Deo doctrinæ & sanctitatis media

media ad eum etiam finem adhibeamus, sic enim Christus Apostolos priùs à se verbo & exemplo suo institutos misit, sic tamen vt voluerit semper eos ita propriæ perfectionis rationem habere, vt dum eam excolunt & adaugent, pro occasionibus variis quæ inter curandam aliorum salutem occurrunt, ea ipsa tanquam proprio modo ad aliorum ædificationẽ vtantur, vt patet ex Matth. 10. vbi præclaris eos monitis ad eam missionem instruit, quæ quia ipsi bene seruarunt, & Apostolicas functiones virtutibus sibi commendatis imbuerunt, ideo eorum missio admodum Dei gloriæ & proximorum saluti fuit: Christi verò instructiones Apostolis datæ pertinebant ad zelum animarum, ad paupertatem spiritus, ac sui mortificationem & contemptum mundi, ad humilitatem, ad obedientiam & indifferentiam, ad orationis studium, ad confidentiam in Deo, & id genus virtutes, quibus proprio amore eiecto Dei amor succederet, & purius efficaciúsque bonum gloriæ eius procurarent. Quas omnes virtutes ità illis commendauit, vt exerceri eas par erat in vitæ Apostolicæ statu, vt & Apostolos perficerent, & aliorũ perfectioni simul seruirent, & ideo ipsemet præterea illarum exempla quæ in vita sua priuata dederat, imitari eos conuenit qui suæ perfectioni student, alia quædam vitæ communi propria longe præstantiora suis illis monitis adiunxit, vt quos verbo edocebat, eosdem vitæ suæ institutis & factis erudiret, & faciliùs doctrinam perfectionis Apostolicæ, & verbis & exemplis sibi traditam intellectu & voluntate caperent. Itaque operæ pretium erit videre primum quidem quæ sit natura missionis Apostolicæ, deinde

quæ ſint illæ virtutes, quæ ſimul & propriæ & aliorum perfectioni, ac proinde maiori gloriȩ Dei conducunt.

MEDITATIO IX.

De Miſſis ad prædicandum Apoſtolis. Matthæi. 10.

PRimum punctum. Diſcipulis Ieſus conuocatis, dedit poteſtatem eiiciendi dæmonia ex hominibus, & omne morborum genus ſanandi.

Secundum punctum. Prudentiam eos docuit & patientiam. Ecce ego mito vos ſicut oues in medio luporum, eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ.

Tertium punctum, perfectionis exponit modū. Gratis accepiſtis gratis date, nolite poſſidere aurum neque argentum. Ad hæc materiam prædicationis expreſſit. Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum.

MEDITATIO X.

De miſſione Apoſtolorum ad illa verba,

Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.

COnſiderabo primo huiusce miſſionis originem primam eſſe Deum ipſum, qui etſi infinita

infinita sui cognitione & amore infinitam gloriam quæ Deus ipse est, sibi tribuat, tamen pro sua bonitate, vt extra se & cognosceretur, & amaretur, non tantum hominem, & opera naturæ produxit, sed etiam homo fieri voluit, vt vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarraret nobis, & Dei ipsius perfectiones palam oculis nostris proponeret, atque ita ad amandum efficaciter permoueret: verum cum diu in hoc mundo mansurus non esset, huius missionis suæ seriem, cum esse continuam in mundo expediret, apostolos à se electos misit ad eum finem, & sic deinceps alios, vnde licet huius missionis dignitatem & simul quantam in Deo fiduciam habere nos oporteat colligere.

Considerabo secundò. Ad quos missi sunt Apostoli. Nam etsi prima eorum missio fuerit ad solos Iudæos, tamen secunda post Christi Domini ascensionem fuit ad omnes gentes, omnes nationes, omnes cuiusque status & conditionis homines, senes & pueros, diuites & pauperes, doctos & indoctos, Reges, Principes, nobiles, & plebeïos, omnes enim vult saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, & pro omnibus venit & mortuus est Christus qui est salus gentium vsque ad extremum terræ: itaque quotiescumque inter homines versaris, quicumque illi sint, memento tui muneris & cogita te ad eos missum á Deo Legatione pro Christo fungimur (dicebat Sanctus Paulus) tanti ergo officij partes omnes inter quoscumque liberè & generosè tibi puta obeundas.

Considera tertio quis sit finis missionis illius Apostolorum, & tuæ, nempe vt cognitionem

Dei, eiuſque perfectionum omnium, & operum naturæ, gratiæ, & gloriæ, inter tot errores in omnium illorum quibuſcum te verſari continget, mentes inferas, cognitionem, inquam, non tantum ſpeculatiuam ſed etiam practicam, qua fiat vt quid tantæ Maieſtati, Bonitati, Potentiæ, Iuſtitiæ debeant, omnes cognoſcant, eique ſe ſubijciant, ſeruiant, obediant, & ſanctiſſimas eius leges & amicitiam, quam diuitijs, honoribus, voluptatibus poſtpoſuerunt, impoſterum rebus omnibus, ſuæque vitæ ſi opus ſit præponant, atque ita non tantum ſalutem, ſed maximam etiam perfectionem ad maiorem Dei gloriam æternam conſequantur.

Conſid. Quarto. ad hanc cog itionem hominibus imprimendam Chriſtum Dei virtute & ſapientia Apoſtolis cõceſſiſſe tria, quæ ipſe à patre acceperat veluti inſtrumenta quorum duo omni tempore ſunt neceſſaria, tertium aliquando.

Primum fuit ſapientia & doctrina quam in eos deriuauit. Nam quæcumque à patre ſuo accepit, nota fecit illis, & hauſtam é patris ſinu æternam rerum cognitionem eis communicauit, nec enim ea quæ de Deo Patre, quæ de filio, & Spiritu S. profeſſi ſunt & docuerunt, ſanguis & caro eis reuelauit, ſed Deus pater qui in cœlis eſt.

Secundum fuit ſanctitas vitæ, omnium virtutum, ſed maxime fidei, ſpei charitatis, & religionis ſplendore illuſtris, & prorſus admirabilis: ideo enim ſæpe Spiritum ſanctum illis dedit, ſed maxime poſt Aſcenſionem.

Tertium fuit miraculorum poteſtas, duo priora vt pote ſemper neceſſaria, Deus in iis, quos ad ſtatum vitæ Apoſtolicæ, vocat omni tempore requirit

requirit, quamquam enim non ſemper extraordinario modo doctrinam infundat, tamen eius prouidentia ita quibuſque temporibus res humanas diſponit, vt abunde eam quiſque proprio ſaltem labore, Dei gratiæ cooperando, ſibi comparare quæ neceſſaria eſt, poſſit, quod etiam de mediis ad vitæ ſanctitatem conſeruandam & augendam neceſſariis dici meliori ratione debet: quare agere, quiſque debet Deo gratias, quod vtrumque hoc inſtrumentum à Domino acceperit pro eo atque Deus, vti vnoquoque conſtituit.

Conſid. Quinto, quod non ſolum Chriſtus illos iis inſtrumentis inſtruxit, ſed etiam quo modo & quibus fundationibus ea applicare deberent admonuit: nam miſit eos prædicare Regnum Dei, & vt patet ex D. Marco, pœnitatentiam. Nec enim otioſa poteſt eſſe vita Apoſtolica, ſed in omni occaſione pro ſuo officio Regni Dei gloriam, & hominum erga Deum ſubiectionem tota promouet: prædicat enim non curioſa & inutilia, ſed Dei regnum & pœnitentiam, non in ſapientia verbi, & ſublimitate ſermonis, vt non euacuetur crux Chriſti. Non enim, inquit Apoſtolus, noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: Virorum Apoſtolicorum labor eſt dura hominum corda ſalubribus contritionis lacrymis emollire, & ad vitam meliorem imo perfectam conuertere, & ex Dæmonibus Angelos efficere; id autem fit non ſola publica prædicatione, & cathechiſtica inſtructione, ſed etiam priuatis colloquiis, & ſacramentorum, præcipuè verò pœnitentiæ adminiſtatione. Hæ enim functiones; omnes ad Regni Dei &

pœnitentiæ

pœnitentiæ prædicationem Apoſtolis commendatam pertinent, quas omnes, etſi pauci obire poſſint, nemo tamen eſt qui non poſſit ſaltem earum aliquâ Dei gloriam multum promouere, ſi ſeſe ſerio & ex animo addicat.

Conſid. Sexto. Quomodo Chriſtus non ſolum verbo, ſed etiam ſuo exemplo Apoſtolos docuerit in quo conſiſteret hæc miſſio: nam ipſemet toto triennio aliud nihil egit in Caſtellis, vicis, oppidis, ciuitatibus quam Dei regnum annunciare, & ad Dei cognitionem, amorem & pœnitentiam inuitare omnes quibuſcum verſabatur. Hoc enim in templo, in domibus priuatis, in nauibus, in ciuitatibus, in deſertis, in montibus, in caſtellis, in menſa, in via ipſa, cum magnis & paruis, Phariſæis & peccatoribus, publicanis, piſcatoribus præſtabat, adeoque vere totus erat in ijs, quæ patris ſui erant, negotiis impigrè & fideliter gerendis.

De animarum Zelo.

HAs functiones cum obirent Apoſtoli, virtutes ſibi à Chriſto Domino commendatas ad propriam, & aliorum perfectionem, Chriſti Domini exemplo, ſemper his admiſcuerunt, inter quas prima eſt proximi charitas, & Zelus animarum. Nam verus & ſincerus animarum ſalutis Zelus ad gloriam eius qui eas creauit, ſiue ardẽs deſiderium gloriæ illius Dei, quæ ex hominum ſalute & perfectione exiſtit, quamquam ad intentionem pertineat, cenſetur tamen inter media valde efficacia ad nos perficiendos, & iuuandas

das animas; est enim non tantùm magni amoris Dei effectus & signum, sed etiam veluti intrinsecum quoddam principium valde actiuum; atque adeo ignis instar, quo sicut Deus ipse nos sibi, ita nos proximos nostros nobis similes in Dei amore efficere conamur quantum possumus. Nam omnes tum internas tum externas facultates, & vires nostras, non minus suauiter quam efficaciter ad ea omnia applicat, quibus bonum proximorum promoueri possit; itaque non patitur nos esse otiosos, sed continuò excitat opportunè, importunè, & tanquam principium varia media suggerit, vt si vel non possimus concionari, catechisemus, saltem visitemus carceres & ægrotos, confessiones audiamus, pro aliis maxime peccatoribus sedulò & ardenter oremus, denique nouas quotidie industrias excogitemus quibus iuuari possint peccatores ad salutem; alij verò etiam ad perfectionem possint, & sanè sine eo functiones omnes nostræ inefficaces sunt, & veluti mortuæ, & rarò satis constantes, cùm præsertim sæpe contingat plurimis difficultatibus ac molestiis eos impugnari, quibus facilè cedunt ij in quibus Zelus animarum languet. Quare vitæ Apostolicæ status sine hoc Zelo est veluti corpus sine anima.

MEDITATIO VI.

CONsid. Primò Christum Dominum cum Apostolos ad se vocauit hunc iis Zelum infudisse tanquam veram Apostolici officij dotem.

tem. Nam tanta eos vi ad ſe traxit, vt ab omni alio deſiderio, vel opum vel honorum eos auelleret, vt huic ſe rei totos addicerent; quare quoſdam ex piſcatoribus piſcium, hominum fecit piſcatores, alios ex mercatoribus à lucris pecuniarum quibus inhiabant, ad animarum lucra traductos, fecit ſpirituales gloriæ Dei negotiatores, atque omnes vineæ ſuæ cultores eſſe voluit, quibus paſſim ſæpe non ſolitariam vitam atque priuatam, ſed communem eos in vineam, in negotiationem, in medias hominum turbas mittendo, commendauit. Hunc Zelum à Sancto Petro vt ſui amoris certum indicium ter exigit: ſi amas me, paſce oues meas, igne certè illo quem venerat ipſe mittere in terram, eorum corda ſuccendit, & cum viueret, & poſt Aſcenſionem, quando in ignearum linguarũ ſpecie Spiritum ſanctum miſit, vt hoc Zelo Apoſtolicæ functiones abundarent.

Conſidera Secundò. Non ſolum verbis, ſed etiam ſuis exemplis hunc Zelum iis efficaciſſimè impreſſiſſe. Nam quandiu ſecum illos habuit in omni occaſione manifeſtè apparuit quàm ſibi cordi eſſet animarum ſalus; & quidem paulo ante Miſſionem Apoſtolorum videns turbas, miſertus eſt eis quia erant vexati & iacentes; ſicut oues non habentes paſtorem, tunc dixit diſcipulis ſuis, Meſſis quidem multa eſt, operarij; autem pauci &c. & Ioann. cap. 4. videte regiones quia iam albæ ſunt ad meſſem. Quoties palam ſignificauit illis ſe veniſſe vt peccatores ſaluos faceret vt tanquam gallina congregaret pullos ſub alas, vt ouem vnicam bonus paſtor humeris reportaret, hoc eſſe opus ſuum, hunc cibum, has

has delicias, ob quas deſiderabat calicem ſibi paratum bibere, & baptizari ſibi parato baptiſmo. Qualis autem eſſet ille Zelus in ſacro eius pectore Apoſtoli didicerunt, quando poſtquam eiecit vendentes oues & boues ex templo, recordati ſunt diſcipuli quod ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me; in hac fornace Apoſtolorum corda, ſalutis proximorum deſiderio inflammata mirum in modum exarſerunt.

Conſidera Tertio. Hunc Zelum Chriſti verbis, exemplis, & meritis fuiſſe inſpiratum, habuiſſe aliquas conditiones maximè neceſſarias. Nam primo fuit valde ſincerus & purus ſine vllo vllius boni admixto deſiderio, præterquam Dei gloriæ, & ſalutis, ac perfectionis proximi: nec enim aut diuitias, aut honores, fauoremque, aut vanam hominum æſtimationem, aut corporis commoda ſimul cum animarum ſalute intendebat, ſed his omnibus contraria vt poſtea videbimus. Secundò etſi erat feruentiſſimus, tamen erat valde diſcretus: nam prudentiſſima Dei ſapientia in hominibus quorum ſalutem procurabat, diſcernebat naturam à culpa, & licet culpam quatenus Dei Patris offenſa & iniuria erat, infinito odio & animi indignatione proſequebatur, atque adeo puniri optaret & prorſus aboleri, tamen quatenus erat quoddam proximi malum, tantam ei perniciē cauſans, ſummo compaſſionis affectu maxima cum manſuetudine & benignitate ſuſtinebat, ac ſufferebat, conabaturque ſuauiſſime eum ſanare. Quare Apoſtolos ignem è cœlo aduocare in ciuitatem Samaritanorum volentes increpuit. Neſcitis cuius ſpiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere,

ſed

ſed ſaluare. Hoc ſignificabat, cum dicebat; venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Et diſcite Matthæi. 23. Volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Tertio fuit valde indifferens, etſi enim inter ſolos Iudæos verſaretur, tamen pari charitate pauperum ſalutem & diuitum procurabat, imo maiori etiam. Nam ad Reguli filium ire noluit, iuit vero ad Centurionis ſeruum & pauperes diſcipulos adlegit.

Conſid. quarto Apoſtolos & viros Apoſtolicos functiones omnes ſuas hoc igne accendiſſe, inter quos D. Paulus 2. Cor. c. 8. Charitas Chriſti vrget nos. Et, Filioli quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Nec ſolum parturire vt matrem, ſed & nutrire lacte, & tanquã ſi nutrix foueat filios ſuos educare magna cum benignitate & manſuetudine ait, paſſim Expende vnicum eius locum ad Rom. 9. & inde diſce quo te affectu eſſe oporteat, quâ manſuetudine erga proximos cum eos iuuas: veritatem, inquit, dico in Chriſto Ieſu, non mentior, teſtimonium mihi præbente conſcientia mea in Spiritu ſancto, quoniam mihi triſtitia magna eſt & continuus dolor. Optabam enim ego ipſe eſſe anathema pro fratribus meis.

De paupertate Euangelica.

Est quidem optimum ad propriam perfectionem medium paupertas, qua omnia reliquimus,

mus, verum cum ad munus Apoſtolicum accedit, eius functionibus iungitur, non ſolùm maiorem nobis perfectionem affert, ſed etiam illis ingentem vim addit: quare Apoſtolis à Chriſto Domino eſt commendata verbo & exemplo, non qualiſcumque, ſed quæ Apoſtolicæ vitæ, & Euangelicæ prædicationi maxime congruebat, eo nimirum fine vt omni rerum terrenarum deſiderio vacuæ Apoſtolorum mentes puriùs Dei gloriam intenderent, & liberi ab omni ſolicitudine alia, ſtudium omne in id quod ſui erat muneris conferrent, atque ita rerum omnium contemptu vero & ſincero facilius hominibus perſuaſerunt, tum vera eſſe quæ prædicabant, tùm quam omnia terrena bona longe poſtponenda eſſent Dei amicitiæ &, æternis bonis.

MEDITATIO XII.

COn ſidera primò. Præcepta de paupertate Apoſtolis tradita à Chriſto, cum eos miſit. Math. 10. & alibi, quorum primum eſt, Gratis accepiſtis, gratis date, quo voluit ne quid ob miniſteria acciperent, ne quidem gratis oblatum: Eſt enim quidem hic eximius paupertatis modus, vt poſtquam Chriſti exemplo vltro ex diuite pauper factus es, etſi ea munia obeas quibus & magnas opes ſine cuiuſquam iniuria, imo iuſte colligere poſſis, tamen omni illi iuri renunties, & in proximi ſalutem & perfectionem incumbas, ſine vlla non ſolum mercede, ſed etiam ſpe vllius boni alterius, quam Dei gloriæ, qui ſibi purè ſeruien-

tibus

tibus satis necessaria prouidebit, hoc præceptum ita est exactè seruandum, vt non solum pro nobis in particulari, sed pro domus aut Collegij fundatione, vel necessariis alimentis quidquam intendamus, dum saluti proximi vacamus, sed omni alia cogitatione abiecta Dei negotium agamus; cui non est difficilius necessaria centum hominibus prouidere, quam vel vni soli; quamuis si Deus aliquam occasionem offerat non sit negligenda: hoc enim tunc Dei negotium est. Secundum præceptum est simile. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, neque duas tunicas. Quo præcepto voluit vt omnibus rebus nisi necessariis nudi abirent, nec sibi sollicitè viaticum curarent (licet oblatum postea recipi non vetuerit) nullis essent onusti sarcinis superfluis, nullis districti curis terrenis, sed in omnibus penderent à Dei prouidentia; tum vt ad susceptam legationem essent aptiores, & toti vacarent delegatæ functioni; tum vt iam inciperent discere quam tutum sit totam vitæ præsentis curam commendare Deo; tum etiam vt declarantes hoc exemplo quam essent alieni ab omni cupiditate, plures lucrifacerent, & ad rerum terrenarum saltem pro Dei amicitia contẽptum inducerent. Atq; hanc paupertatem professi, cum quartum votum obedientiæ summo Pontifici quo ad missiones faciunt, profitentur.

Considera Secundò, Christum Dominum ipso facto Apostolos suos paupertatem Euangelicam docuisse. Nam nihil omnino ipse possidere voluit, nihil accipere ob spirituales functiones; vulpes, inquit Matthæi 8. illis qui ad eum sequendum se offerebant, foueas habent, & volucres

cœli

cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput. Et quamquam poſtquam Apoſtolicum collegium habere cœpit, eleemoſynas etiam pecuniarias acceperit; quibus tantum numerum qui facile emendicato cibo viuere non poterat, ſuſtentaret; eæ tamen exiguæ erant, & magna in illum fide, & charitate à piis perſonis vltro oblatæ, quæ bona opera non tantum non impedire illam, ſed etiam promouere oportebat, quod tamen ita effecit, vt effectus paupertatis quam plurimos experiri Apoſtolos vellet, vt quando Sabbatho ſpicas vellebant.

Conſidera Tertio. Quomodo Apoſtoli omnes, & viri Apoſtolici hæc Chriſti præcepta & exempla ſecuti ſunt magno animarum bono, inter quos S. Paulus 1. ad Timoth. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus. Ad Phil. 3. omnia arbitror vt ſtercora vt Chriſtum lucrifaciam: & alibi. Non quærimus veſtra ſed vos ipſos. Et alio loco. Nihil habentes & omnia poſſidentes. Imò etiam vnâ gloriâ Dei contenti fuerunt, vt etiam eleemoſynas ad victum neceſſarias recipere vererentur, ſi quando probabile eſſet, vt vel minimum inde aliqui ſcandalizarentur. Certe D. Chryſoſtomus non aliam ob cauſam putat tam multos operarios in Eccleſia hoc tempore tam parũ vtiliter laborare, cum 12. Piſcatores totum mundum conuerterint, quàm quia ſpiritu pauperes magnum & generoſum rerum omnium contemptum præ ſe ferrent, ob Dei amorem & prædicationem Euangelicam: hoc vero tempore qui aliorum ſaluti vacant, licet pauperes ipſa profeſſione ſint, tamen nimium auidè & anxiè ea quæ neceſſaria ſibi putant ex-

petunt, atque ita puritas intentionis gloriæ Dei inficitur, & homines offenſi reſiliunt.

De Carnis mortificatione.

PAupertatis comes indiuiduus eſt dolor & labor, atque carnis mortificatio, non iam vmbratica, & vt à Nouitiis ſolet experiri exercitij causâ, & propriæ tantum perfectionis ſtudio ſuſcepta, ſed ſolida & officio propria, eſſentialis & intrinſeca. Nam nulla plane vitæ ratio, aut maiores labores corporis adiunctos habet, aut auſteriorem carnis mortificationem requirit quam Apoſtolica, ſicut è contra corporis quies & commoda ita Apoſtolico muneri repugnant, vt eius finem prorſus euertant. Quare Chriſtus ita Apoſtolos erudiit vt in negotiorum Dei procuratione, nihil blandum carni, nihil corpori commodum, nihil ſuaue; ſed contrà labores magnos, & afflictiones corporis expectarent, vt omni inordinato erga ſe affectu exuti, & puriùs maiorique cum perfectione propriâ, & efficaciùs aliorum ſaluti & perfectioni vacarent.

MEDITATIO XIII.

COnſidera Primo. Chriſtum Dominum non ſolum elegiſſe quos in mundum mitteret homines delicatos, & otio ac corporis commodis aſſuetos, ſed laboribus, fame, ſiti, frigore, durâ carnis tractatione exercitos: quod ſi alio quoſdam

quosdam non ita laboribus deditos elegit, eos postea simul cum cæteris ita instruxit, vt, abdicatis corporis deliciis & otio, ad labores & carnis mortificationem in animarum salute procuranda scirent se paratos esse debere. Illud perpende Lucæ 9. si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie & sequatur me &c. Iterum cap. 14. Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus. Quare ad vitam Apostolicam vocatos appellat aliquando piscatores, aliquando ouium pastores, aliquando agri vel vineæ cultores; hos ad spiritualia contra Dæmones animos hominum obsidentes arma ieiuniorum, vigiliarum, orationum crebrò hortatur. Hos mittit sine sacculo, sine pera, sine pecunia, mandatque vt sint contenti iis quæ apponuntur, nec se prætextu necessitatis aut præbeant vlla ratione ea in re difficiles hospitibus, aut secum ea quæ delicias redolent, & ab Apostolico rigore aliena sunt, sui nimia sollicitudine ferant: eosdem permisit eâ fame premi vt spicas vellere cogerentur, idque in Sabbato, id est, die festo & in solitudine cum eorum animos laboribus fessos post missionem recrearet, nihil ad victum tot personarum inuentum est præter panes hordeaceos, & paucos pisciculos.

Consid. Secundo. Quomodo Christus Dominus tota quidem vita, sed potissimum eo tempore quo Dei regnum cum Apostolis annuntiauit in laboribus plurimis, tenui, eoque parabili; & communi victu, sine deliciis, vitam suam, quæ Dei vita erat, non sine magnis incommodis sustentauit, nam præterquam non habebat vbi

caput reclinaret, præter transactas in oratione noctes, præter humi-cubationes, & plurima exempla austerioris vitæ quæ in Euangeliis sparsa sunt: vnum tantum perpende Ioan. 4. Iesus ergo, inquit, fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem: ecce in quærendis ouibus perditis defatigationem; erat enim hora quasi sexta, idest duodecima, quare Apostoli iuerant in ciuitatem vt cibum emerent; interim Christus quamquam & defatigatione & fame opprimeretur, sic vt compelleretur sedere supra fontem, datâ tamen occasione Samaritanam tam sedulo, tam alacriter docet, vt cibo deinde oblato, sui suarúmque commoditatum oblitus non desistat, sed repudiato corporis victu dicat discipulis: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis, meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei, & perficiam opus eius: leuate oculos vestros, & videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem; nimirum tanta Dei patris gloriæ fame & siti tenebatur, vt præ illa quæuis corporis incommoda non sentiret; & alio se modo posse sustentari significabat, quàm eo pane, nempe illo qui ex messe propriis & Apostolicis laboribus & sudoribus collecta conficiendus erat. Tum vide quid hoc exemplo facere par sit, facilè quidem & nouitiorum proprium, cum nihil corpori deest, pro Deo laborare, verum Apostolicum est multum die & nocte sine vlla intermissione laborantem optare durè tractari, & oblata corporis commoda quasi inuito animo, & aliunde saciato pro necessitate admittere.

Consid. Tertiò. Apostolis & viros Apostolicos hunc spiritum habuisse; perpende illum

vnicum

vnicum Apoſtoli locum ad Corinth. 2. cap. 11. Miniſtri Chriſti ſunt, & ego (vt minus ſapiens dico plus ego) in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſuprà modum, in mortibus frequenter, in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate: & 1. ad Corinth. 9. ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Hi ergo labores, hæ corporis afflictiones, ieiunium, frigus, fames, Apoſtolicæ vitæ deliciæ ſunt, quibus Apoſtolicæ functiones circa proximum, carne, vt ita dicam, planè contusâ, ſpiritu Dei animatæ vegetantur, & efficaciſſimæ ad Dei gloriam efficiuntur. Quod ſi pro occaſione aliqua commoda admittere neceſſe ſit, Apoſtolicum eſt verbum; ſcio abundare, & penuriam pati, vt nimirum abundantia non diſſoluatur animus, ſed ita vitium integritati pro occaſione conſulat, vt eas ipſas ad maiores labores, & dolores deinde conferat.

De mundi contemptu.

EST quidem valde laudabilis & magnæ perfectionis mundi ille contemptus, cum quis ſeſe in abditam aliquam ſolitudinem recipit, vt eo impedimento ſublato propriæ vacet perfectioni; verùm longè excedit is quo quis in ipſo mundo degens inter homines; magnis ſublimibúſque functionibus deditus quæ mundo ipſi & admodum

vtiles & admirabiles esse solent, occupatur, atque ita mundi honoribus, fauore laude circumcingitur, vt iis tamen non tangatur, sed prorsus nihili faciat, & cum fastidio ac tædio sustineat. Talis est in Apostolicis cordibus mundi contemptus à Christo Domino commendatus, vt nullius fauore, nullius metu à Dei gloriæ procuratione impedirentur.

MEDITATIO XIV.

COnsid. primò. Quomodo Christus Dominus suis Apostolis mundi contemptum commendarit. Certè Matth. 6. cap. multis verbis hortatur, ne quid faciant ad vanam hominum gloriam captandam: attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis; atque ita mandat, vt quantum fieri potest, opera sua bona alios celent: hoc facit quod cum duos discipulos mundi spiritu adhuc plenos argueret: Nescitis quid petatis, illud Matth. 20. ait, Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Quod repetit Matth. 23. cum reprehendisset pro more Pharisæos quod primos recubitus eligerent in cœnis, & primas Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi: deinde cum discipuli exultarent quod Dæmonia ipsis subiicerentur, videbam, inquit, Sathanam sicut fulgur de-

scendentem

ſcendentem de cœlo, indicans Luciferum ob faſtum cecidiſſe, & addit; Verumtamen in hoc nolite gaudere, quod ſpiritus ſubiiciuntur vobis. Imò verò Apoſtolis mundi odium, perſecutiones, contumelias proponit: Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me.

Conſid. Secundò, quomodo Chriſtus ipſe non ſolùm quando vitam obſcuram & priuatam egit, de quo ſuprà, ſed præcipuè quando inter homines verſatus eſt, omnem mundanam vanitatem, honorem & fauorem fugerit. Nam cum infinita eſſet eius ſapientia, ſanctitas, potentia; tamen ita temperare effectus ſcientiæ, ſanctitatis & potentiæ oſtendit, vt viſus ſit velle omninò latere: rarò verſatus eſt Hieroſolymis, rarò cum doctis, nunquam cum principibus, vbique miracula quæ faciebat, occultans & publicari vetans, doctrinæ ſuæ radios ita tegens, vt poſſet quidem quantum ſatis erat efficaciter quoſvis promouere, nihil tamen ad oſtentationem, nihil ad gloriam ſuam; ſanctitatem verò excellentē vitæ communis & conuerſationis velo ita celauit, vt præ S. Ioánne Baptiſta à mundo contemneretur: quare cum vellent eum rapere vt regem conſtituerent, ipſe fugit in montem: ita Dei Filius qui non rapinam arbitrabatur eſſe ſe æqualem Deo, Dei gloriam procurare voluit, vt à mundo nullum aliud bonum quam Dei gloriam accipere; nihil Apoſtolis, & Apoſtolicis viris expectandum, non honores, non fauores edoceret.

Conſidera Tertiò, Quomodo Apoſtoli ita à Chriſto Domino informati ab hoc impuræ inten-

tionis veneno per veram mundi omniúmque bonorum,& gloriæ contemptum,mentes & functiones suas purgarint. Non sumus, inquit Apostolus, sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, & sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur. Nec enim hominibus placere, aut eorum fauores aucupari curabant, sed potiùs mundo crucifixi erant, & mundus ipsis; quare ne qua in re adulterarent prædicationem verbi Dei: sapientia verbi, inquit, ne euacuetur Crux Christi, non enim nos prædicamus, sed Iesum Christum. Suam etiam sanctitatem & bona opera quantum poterant, tegebant, imò peccata sua, & indignitatem apertè profitebantur, vt sæpiùs S. Paulus, qui se vocat blasphemum primum, etsi etiam contigerit aliquando & gratiâ in mundo, & authoritate, atque hominum æstimatione pollere, eam tamen ipsi non quæsierunt; sed Deus ipse, cum ipsi potiùs contemni optarent, vt sola Dei gloria resplenderet, iustus Iudex vicissim eam quæsiuit, cùm sciret fideliter eos acceptam authoritatem & æstimationem ad Dei gloriam iterum relaturos.

De Humilitate.

HÆc virtus propriæ salutis & perfectionis fundamentum,in priuata vita internos & externos actus proprios habet, qui quamquam sint magni momenti, tamen vitæ Apostolicæ ob finis, & functionum eius excellentiam non sufficiunt. Tres enim sunt humilitatis actus siue gradus.

Primus

Primus eſt quo quis ſe parui æſtimat, & de ſe humiliter & abjectè in animo ſuo, ſinceréque ſentit, tum quia nihil eſt, tum quia peccator; qui gradus poteſt conſiſtere cum deſiderio vt nihilominus ab aliis magnifiat.

Secundus itaque gradus eſt, quo non deſiderat æſtimari à proximo, atque adeò humanas laudes non quærit, ſed potiùs refugit, & cum offeruntur non extollitur, ſed potiùs confunditur; & contemni ab aliis non tantùm patienter fert, ſed etiam cum gaudio exoptat, qui actus vel gradus ad præclaros externos actus humilitatis coram proximo obeundos impellit: verùm poteſt fieri vt quis facilè nec ſe æſtimet, nec ab aliis æſtimari deſideret, quia nec magnis præditus dotibus, nec magna ſanctitate, doctrina, induſtria ornatus eſt, nec magnam apud homines authoritatem, dignitatem, officium obtinet, nec magna operatur.

Tertius. Quare Apoſtolicæ eſt humilitatis magnis præditum eſſe donis Dei, & virtutibus, ad magna & excellentia officia vocatum, in magno inter homines loco eſſe, magna & hominibus admirabilia atque vtilia operari, & tamen inter hæc omnia magna, non ſolùm magnum non ſibi videri, nec videri ab aliis velle, ſed etiam nihil ſe eſſe, nihil ſe poſſe, nihil ſe præſtare, ſe ſeruum inutilem reputare & credere; & non ſolùm omnia hæc bona atque opera Deo authori, & omnium fonti referre, ſed delatos ſibi honores, & hominum laudes ita audire, quaſi non ad te, ſed Deum, cuius verè ſunt, ſpectarent & dirigerentur, ſibíque ſolam confuſionem vt debitam retinere. Atque hic eſt tertius humilitatis actus,

quo non ſolùm intellectu , ſed etiam voluntate clarè & certò intelligimus nos nihil facere poſſe, niſi peccatum & nihil ; Itaque omnia bona noſtra & opera eſſentialiter & intrinſecè à Deo eſſe, cui ideò ſoli verè debetur honor & gloria. Hæc verè Apoſtolica humilitas eſt quæ Deo maximæ gloriæ eſt, quia omnia bona in eum refundit, & nos eximiè diſponit, vt diuina majeſtas quæ gloriæ ſuæ zelo ardet, noſtrâ operâ libenter vtatur, cùm videt adeò fideliter nos agere, vt nihil nobis niſi confuſionem retineamus, quo maior diuinæ gloriæ fructus exiſtat.

MEDITATIO XV.

CONſidera Primò. Quod Chriſtus Dominus non ſolùm elegit Apoſtolos pauperes, rudes, abiectos, vt ipſi ad tantùm officium eleuati non ſuperbirent, non in ſe confiderent, ſed voluit eos in ipſo munere obeundo, humilitatis & diffidentiæ de ſe perpetuam memoriam & exercitium retinere. Nam ſæpè id illis inculcat. Luc. 17. Cùm feceritis omnia quæ dicta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Et Ioan. 11. iam ad patrem abiturus. Ego ſum vitis, vos palmites ; qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere; ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi in vite manſerit, ſic nec vos niſi in me manſeritis. Quamquam ergo tibi vtilis videaris Deo & fructuoſus, nihil tamen es ex te, inutilis es, vile & infructuoſum

ſum ſarmentum, ſi te putes aliquid eſſe & poſſe, & ſine Dei operatione, te à Chriſti meritis ſeparas. Matth. 11. magno affectu gratias agit Patri, quod abſconderit hæc à ſapientibus, & reuelauerit ea paruulis: & alibi, ſuperbam Apoſtolorum inter ſe contentionem, quis eorum maior eſſet, grauiter reprehendens, ait. Niſi efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum.

Conſidera ſecundo, Chriſtum Dominum inter eas perfectiones & excellentia dona quæ à Deo acceperat, ſummam etiam authoritatem, opera prorſus ſtupenda, ſummam tamen ſemper animi demiſſionem, quatenus homo erat, retinuiſſe, adeo vt nemo vnquam vel humilior fuerit, vel magis de ſe diffiſus fuerit; Nam quanto ipſe maior erat, tanto ſe profundiùs deprimebat, quando in ſuum nihilum ſe demittebat; erat enim infinita quaſi profunditas ab ea dignitate qua præcellebat, ad eum ſtatum quo ſe abiiciebat. Nam cum illuminatiſſima illa humanitas clare Deum videret, penetrabat intime ſuum nihil, non ſpeculatiue tantum, ſed etiam practicè: Nam & potentiam & ſapientiam & ſanctitatem texit quantum potuit, & omnia ſua patri accepta referebat. Doctrina, inquit, non eſt mea. Item gloria mea nihil eſt, teſtimonium meum nihil eſt: Quare nihil ſibi tribuebat, nihil in ſe confidebat, nullam gloriam retinebat, ſed in Deum omnia referebat, eaque humilitate omnes functiones ſuas condiebat, vt Apoſtolis & nobis eſſet exemplo. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & vt exemplum humilitatis daret, lauit eorum pedes.

Conſidera Tertio, Apoſtolos ita à Chriſto edoctos humilitate vera ſuas perpetuo functiones veluti condiiſſe, vere Apoſtolico ſenſu dixit S. Paulus

ad Galat.6.Si quis existimat se aliquid esse ipse se seducit:& primæ ad Corint.3.Neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus ; & paulo post. Nemo se seducat si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens ; & cap.4. quid habes quod non accepisti ? si autem accepisti, gloriaris quasi non acceperis?Lege si placet ea quæ idem Apostolus ibidem subdit de Apostolorum humilitate.Puto,inquit,quod nos Deus Apostolos nouissimos ostẽdit tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus;nos stulti propter Christum, nos ignobiles : & quæ ibidem sequuntur. Sæpe idem Apostolus sua peccata commemorat,profitetur se persecutorem fuisse, indignum Apostolico nomine & officio:itaque & suum nihilum, & indignitatem, ac peccata agnoscens,omne suum bonum & gloriam in Deum & Dei gloriam referebat , atque inter tantæ doctrinæ & sapientiæ cœlestis lumina, tot & tam conspicua miracula,verissimâ sui cognitione perfusus,nihil esse,nihil se mereri nisi pœnam; gratia & misericordia Dei esse id quod erat profitebatur,& bona omnia siue corporis siue famæ à se tanquam indigno reiiciebat.



De

De ſui diffidentia & confidentia in Deo.

HVmilitas perfecta fundamentum eſt diffidentiæ in ſe, & confidentiæ in Deo, quæ vtraque in diuinis functionibus maximi eſt momenti. Nam cum & hæ ipſæ & fructus qui ex iis ſperatur, longiſſimè quaſcumque vires humanas ſuperent, & Dei opera ſint, ſi quid dum concionaris, dum agis cum proximo, tuo ingenio, induſtriæ, doctrinæ, ſanctitati fidas, iam Deum ipſum quodammodo ab illo opere arces; contrà verò ſi de te prorſus diffidas, & non tantum ſpeculatiuè, ſed etiam practicè, te nihil poſſe in ea re quam intendis, agnoſcas, iam totum id negotium Deo committis, & omnipotentem Dei manum ad id opus admoues, cui proculdubio curæ erit, vt ad ipſius gloriam res bene eueniat; qui enim ſuæ Bonitatis & potentiæ gloriam, mundum è nihilo creando, & deinde hominem è peccato quod etiam nihilo peius eſt, redimendo, maximè demonſtrauit, gaudet plurimum & delectatur, cum licet operâ noſtrâ vtatur; agnoſcimus tamen illum non alia re vti quam noſtro nihilo, ac proinde omnem rei geſtæ gloriam in eum referimus, atque hæc duo ita ſe habent, vt quò magis de viribus noſtris diffidimus, eò Dei virtus propius accedat. Vult enim Deus nos nihil eſſe, quia id in maieſtatis eius gloriam redundat: vnde hæc virtus vere eſt Apoſtolica. Hac ergo etiam ratione Apoſtolicæ functiones non noſtræ, ſed diuinæ eſſe debent, vt vtiles & noſtræ perfectioni

perfectioni, & proximorum esse possint. Quare id à Christo fuit valde commendatum Apostolis.

MEDITATIO XVI.

MEditatio de diffidentia in se & confidentia in Deo fieri potest, vel de piscatione S. Petri. Luc. 5. vel de sedata maris tempestate, & ambulatione super aquas Matth. 14.

In piscatione S. Petri.

Considera primo id quod ait Petrus. Praeceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete; quibus verbis S. Petrus agnoscit suae industriae & laboris inanitatem, ac proinde in eo iactu retis in Christo solum confidit: cum ergo iecisset rete comprehendit magnam piscium multiutdinem, ita vt ambae nauiculae plenae ferè mergerentur. Hic enim fuit fructus confidentiae in Christo, & diffidentiae de se. Nam S. Petrus cum ordinario modo, & suis viribus confisus rete iecit, nihil cepit; & cum in Christi nomine & virtute confisus, solitos labores adhibuit, copiosam multitudinem comprehendit.

Consid. Secundo, quomodo S. Petrus hoc viso procedit ad genua Iesu dicens. Exi à me; quia homo peccator sum, Domine: sic enim discis quomodo gerere te debeas quando Deus per te vel in te aliquid magni & insoliti operatur. Nam sentire te debes planè indignum quo

Deus

Deus vtatur vt inſtrumento ad res tantas, quantæ ſunt eæ quæ eius gloriam promouent, quamtumuis in ſe viles videantur: tu nihil es; vnde ergo quæ facis prouenire videntur, vnde in Dei gloriam cuncta referre debes, & Deum ipſum veluti à te indigno repellere, & opera eius eſſe omnia, non tua, agnoſcere.

Conſid. Tertio. Quod addit Euangeliſta. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum eo erant in captura piſcium quam ceperat: ſic enim ſolent ij qui verè parum ſibi tribuunt, admirari, & ſtupere quando vident ea quæ Deus per ipſos facere dignatur, cum nihil eſſe in ſe ſciant, quod ad eos effectus proportionem habeat.

Poteſt etiam inſtitui meditatio ex illo loco Ioann. 15. ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite, ſic & vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in eo hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere; certe qui aliquid boni operatur, præcipuè quoad aliorum ſalutem pertinet, non eſt otioſus, ſed ipſe aliquid agit & liberè agit, nec diffidentia in nobis otium nutrit, imo exigit vt vires noſtras integras expromamus: verum id quod adhibemus & à Deo eſt: quid enim habes quod non accepiſti? & tam parui momenti eſt vt ſine Dei gratia non ſecus atque corpus ſine anima nullum conatum, imo ne minimum motum ad ſupernaturales effectus habere poſſimus. Quare dum concionaris, dum cum proximo verſaris, memento te eſſe ſeruum inutilem, te ſine Deo nihil poſſe, omnia tua verba ab illo eſſe & verba Dei eſſe,

non

non tua , vt , si gloriaris , in Domino solo glorieris.

Est etiam insignis locus D. Pauli ad Corinth. 2. cap. 3. fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum , non quod sufficientes simus aliquid cogitare à nobis , tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui &, idoneos nos fecit ministros noui testamenti , non litera , vt textus quidam , sed spiritu. Nam Euangelici ministri non solam literam annuntiant , sed eorum ministerio adest spiritus sanctus , qui sese hominum mentibus applicat , vt intelligant & efficiantur.

De orationis studio commendato à Christo & exemplo illius dato ab eodem & accepto ab Apostolis.

HÆc virtus medium est Apostolicum quod ad maiorem Dei gloriam omnes functiones nostras & præire, & comitari , & subsequi debet. Nam hactenus numeratæ virtutes nos quidem à terrenis rebus & amore inordinato nostri remouent & separant : verùm non ita faciliter Deo supremo humanæ salutis artifici vt instrumenta coniungunt , hoc verò est proprium orationis , in qua primum quidem à Deo intellectus illustratur , & voluntas accenditur , vt debitè functiones Apostolicas obeat , deinde humilibus precibus Deus ipse qui solus operatur in omnibus , & humanæ salutis & perfectionis progressum , & consummationem sua operatione

ne attingit efficaciter applicatur ad ea operanda in hominum animis quæ pro officio noſtro efficere intendimus. Niſi enim ipſe accedat, omnes noſtri conatus, conciones, exhortationes nihil efficiunt: vt autem Deus accedat, applicet ſe, & concurrat, non eum permouent noſtra induſtria, facundia, ingenium, doctrina, ſed pia oratio ex humili, & ardenti corde proſiliens; quare etſi contingat quoſdam concionatores orationi non deditos permouere auditorum animos, tamen certum eſt eos motus quos à Deo fieri conſtat, non tam eorum verbis quam feruentibus precibus aliorum qui fortaſſe hominibus deſpecti alicubi latent impetratos à Deo excitari; & in die iudicij mirabimur tot effectus diuinæ gratiæ, quos in hac vita quibuſdam magnis concionatoribus homines tribuunt, aliis quibuſdam ſimplicibus & idiotis à Deo iuſto iudice tribui. Quando vero illi ipſi qui eas functiones obeunt, orationi ſunt dediti, fieri non poteſt quin Deus illis vt ſuis inſtrumentis ſe coniungat; vnde fit accedentibus præcipue virtutibus ſupradictis, vt eorum ſanctitas inter eas functiones emicet, & iis authoritatem quandam diuinam, ac proinde incredibilem in dicendo vim conciliet. Nam quæcumque ipſi dicunt ita excipiuntur quaſi ea ipſa à Deo haurirent. Itaque mirum non eſt ſi altiſſimè auditorum animis imprimantur: quare B. P. Ignatius Societatis Profeſſis ita ſtudium orationis commendat, vt velit omne tempus, quod obedientiæ & charitatis operibus ſupereſt orando traducant. Sic enim Chriſtus Dominus, cum non indigeret, fecit.

MEDITATIO IX.

Commendat Chriſtus orationis ſtudium.

MAtthæi 7. Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui querit inuenit, & pulſanti aperietur. Aut quis eſt ex vobis homo, qui ſi petierit filius eius panem, nunquid lapidem porriget ei? ſi ergo vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?

Math. 21. Amen dico vobis ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis, non ſolum de ficulnea facietis vuas, ſed etſi monti huic dixeritis, tolle te & iacta te in mare, fiet, & omnia quæcunque in oratione petieritis credentes, accipietis.

Math. 17. ad expellendos Dæmones ex hominum corporibus, & mortificationis ſtudium & orationis fidei plenæ in Apoſtolis requirit. Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur niſi in oratione, & ieiunio.

Ioan. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis, vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo; petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.

Lucæ 18. Oportet ſemper orare, & non deficere, & cap. 21. dicit Apoſtolis: vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ ventura ſunt.

Et

Et Matth. 27. Orate ne intretis in tentationem.

Christus ſtudij orationis exempla dat Apoſtolis.

NOtandum eſt Chriſtum duobus modis oraſſe; Nam aliquando ſeceſſit, vt diutiùs oraret; at aliquando inter medias occupationes externas orauit: cum ſeceſſit ita orauit, vt partim aliquid à Patre poſtularet, quod ad ſalutem noſtram neceſſarium eſſe videbat (ſicut enim oportuit eum pro nobis pati, ita & orare) partim vt etiam contemplationi Dei vacaret: porrò nulla occupatio in externis vel aliis operibus diſtrahebat Chriſti mentem vnquam, quominùs eam contemplationem in Dei laudem, & cultum, ſpeciali affectu ordinaret: quare nihil obſtat quominùs dicatur ſemper oraſſe in hac vita ſine vlla intermiſſione, aliquibus tamen temporibus ſpecialiter orauit etiam mentaliter, applicando intellectum, non tantùm vt operantem independenter à corpore, ſed etiam coniunctum & indigentem phantaſmatibus ad meditandum, & contemplandum res diuinas: vnde ad hunc orandi modum oportebat eum ſecedere, aliis externis non vacare, non dormire; ſed vigilare.

Hoc modo Chriſtus Dominus ſæpè in Euangelio oraſſe, imò ordinariè in oratione pernoctaſſe colligi poteſt. Sic enim orauit quando in deſerto per 40. dies verſatus eſt, vt ſupra diximus ex Matth. 4. & Luc. 6. antè electionem Apoſtolo-

rum. Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Item Matth. 14. post multiplicationem panum ascendit in montem solus orare vsque ad 4. noctis vigiliam qua venit ad discipulos ambulans super mare. Talis etiam fuit oratio Luc. 9. & Matth. 16. quando transfiguratus est. Ascendit, inquit Lucas, nocte vt oraret. Antè passionem aliquot diebus postquam concionatus fuerat in templo sub vesperam redibat ad montem Oliueti, in quo totas noctes eum orasse indicant Euangelistæ, Luc. 21 Mar. 11. vnde etiam post cœnam ad eumdem locum pro sua consuetudine oraturus de nocte fuit, vbi à Iuda, qui id non ignorabat, traditus est.

Quod si ita Christus qui eo secessu externo non egebat ad contemplationem, voluit tamen ordinariè ita noctes transire insomnes, vt corpus & imaginem ad contemplationem applicaret, totusque Deo vacaret, & præsertim quando aliquid Momenti incumbebat; quid nos facere par est? meritò ergo professi Societatis totum tempus quod liberum habent, Dei contemplationi, re cum Superiore collata, tribuere debent, atque adeò perpetuò cum Deo versari, tum vt cor suum diuinæ gloriæ desiderio accendant, tum vt necessariam ad munia Societatis sanctitatem hauriant, tum vt suos labores suis lachrymis & precibus irrigent, proximóque lumen & gratiam, salutem & perfectionem acquirendi impetrent.

Præter orationes illas longiores Christus Dominus etiam aliis vsus est pœnè continuò: nam actiones omnes suas crebris orationibus intermiscebat: cum Lazarum suscitauit, oculis in cœlum eleuatis, rogauit patrem Ioan. 11. Item quando

do panes 5. multiplicauit Ioan. 6. quando S. Sacramentum instituit Math. 16. post vltimam cœnam hymnum dixit, & satis prolixam habuit orationem ad Patrem Mar. 4. Ioan. 17. Et paulò ante cum gentiles vellent eum videre, & id Andræas & Philippus illi dixissent, orauit coram toto populo: Pater clarifica nomen tuum, Ioann. 12. Apostolis redeũtibus à prædicatione gratias egit Patri. Confitebor tibi pater, quia hæc abscondisti à sapientibus & reuelasti ea paruulis &c. Matth. 1. Denique in ipsa cruce preces & supplicationes Deo offerens cum clamore valido exauditus est pro reuerentia sua.

Studium orationis in Apostolis.

ORant dum spiritum expectant, & eligunt S. Mathiam Act. 1. Petrus & Ioannes ascendunt ad templum ad horam orationis nonam. Act. 3.

Sanctus Petrus in Ioppe ascendit in superiora, vt oraret circa horam 6. id est 12. ante prandium. Act. 1.

Sanctus Petrus vale dicens Ephesiis positis genibus cum illis omnibus orauit. Act. 20.

Apostoli quoties ad ægros viscendos veniebant, orabant, & imponebant illis manus. Act. 28.

D. Paulus Rom. 1. testis est Deus meus cui seruio in spiritu meo in Euangelio Filij eius, quoniam sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis, obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate veniendi ad vos.

Et cap. 1. fratres voluntas cordis mei & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.

Plenæ sunt S. Pauli Epistolæ orationibus breuibus, gratiarum actionibus, quas suis monitis passim admiscet: nec etiam dubium est quin qui orationis studium aliis tantopere commendat, ipse in eo esset diligentissimus.

S. Petrus Epist. 1. ca. 4. Estote prudentes & vigilate in orationibus.

D. Paulus ad Col. 4. orationi instate, vigilantes in ea gratiarum actione, orantes simul & pro nobis; & ad Thessalon. 5. sine intermissione orate, in omnibus gratias agite; hæc enim voluntas Dei est in Christo Iesu, in omnibus vobis. Et aliis inumeris locis.

De conformitate cum Dei voluntate.

HÆc omnia media ad Dei gloriam, nostrámque, ac proximi salutem, & perfectionem promouendam magni momenti sunt: verum superest adhuc, sine quo illa omnia nihil proderunt, nempè resignatio suæ voluntatis & conformitas cum diuina. Nam cum cætera illa adhibemus, ita conatum nostrum applicare ad id quod intendimus, debemus, vt quoad modos ipsos circumstantias loci, temporis, personarum, effectus etiam ipsos, nos plane resignemus Dei voluntati. Potest enim sæpe fieri vt concionari velis, & te Deus aliis potius vacare velit; vel vt cupias in certo aliquo loco versari, certas personas iuuare, at Deo id non placeat, modo, vt certum

certum tibi tuæ perfectionis, aut aliorum modum præſcribas, Deus verò non illum, ſed alium malit: Item, vt magnis tuis laboribus multam in proximorum conuerſatione vtilitatem tibi promittas, qui tamen omnes Dei iudicio fruſtrà ſunt: denique vt agendo, Dei gloriam promouere deſideres, Deus autem pati te potiùs decreuerit; pati, inquam, non provt cuperes, ſed pro ſua voluntate infirmitates vel animi, vel corporis eas quas minimè omnium velles. Hæc noſtræ voluntatis cum diuina conformitas ad amorem Dei pertinet, quo Deo non tantùm bonum gloriæ volumus quod ſibi vult, ſed etiam eo modo quo vult, atque ita voluntatem noſtram eo amore prorſus perfundimus, quo ipſe ſeipſum amat. Huius verò conformitatis exempla plurima dedit nobis Chriſtus Dominus; vt ea quæ ad eius pueritiam pertinent, de quibus ſuprà ſatis multa inſinuauimus; ea quæ trium annorum ſpatio dum officio ſuo palam vacauit, nobis præbuit, poſſunt à nobis viriliter meditari.

MEDITATIO XVIII.

PRimò ergo quod attinet ad loca & perſonas, mirum eſt quomodo Chriſtus Dominus omnium hominum ſaluator ſeſe in vnius Iudææ finibus continuit; & in ea, rarò Hieroſolymis niſi ſub vitæ finem, rarò in præcipuis vrbibus vixit; nullos principes, paucos alicuius nominis viros vidit, ſed pœnè ſemper in remotis à

principe regni ſede, ciuitatibus, in villis, & caſtris, in deſertis locis inter viles & ignotos homines egit, infinitum homines omnes illuminandi deſiderium coërcens patris ſui voluntate, vnde & dicebat: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Sic nos facere conuenit vt libenter iis nos terminis etiam anguſtis coërceamus, quibus nos per obedientiam Dei voluntas coërcuerit, eas perſonas diuites, pauperes, nobiles, ignobiles, æquè libenter excipiamus, quas ad nos diuina prouidentia miſerit. Nam cum audis confeſſiones, qui ad te accedunt eos omnes à Deo deſtinatos tibi puta, & te non minùs diligenter, benignè & ſuauiter illis impende etſi ſint viles, quàm ſi eſſent Reges. Sic enim Chriſtus Dominus Ioan. 6. omne quod dat mihi pater ad me veniet, & eum qui venit ad me non eiiciam foras, quia deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Hanc Chriſtus patris voluntatem ſibi intuitus eſt etiam in Apoſtolorum electione.

Secundò etiam mirum eſt quomodo Chriſtus Dominus Dei ſapientia & virtus, cùm potuiſſet aliis modis quamplurimis patris ſui gloriam cognitionem & amorem procurare, tamen ita latuerit, abſconderit ſapientiam, virtutem & ſanctitatem ſub communi illo viuendi conuerſandíque modo, quâ in re ſine dubio patris voluntatem ſequutus eſt, adeò vt præcipuas quaſque vitæ ſuæ actiones, doctrinam, conuerſationem, miracula, ad Dei voluntatem planè compoſuerit: Non poſſum, inquit, Ioan.6. ego à me ipſo facere quicquam, ſicut audio, iudico;

&

& iudicium meum iuſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Et Paulo antè: Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit patrem facientem: & cap. 7. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me, ſi quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina vtrum à Deo ſit, an ego à me ipſo loquar. Ita certè nos Dei voluntati oportet conformare noſtram, cum naturales nobis dotes, & talenta, & doctrinam, non provt optaremus largitur; nam ſatis ei eſt, ſi quod largitus eſt, id fideliter impendamus: ne igitur aliud velis habere ingenium, aliud iudicium, aliam doctrinam, alia talenta, quam pro eius voluntate. Quid ſcis an ſi maioribus dotibus præditus eſſes, illis non abutereris ad tuam æternam damnationem vt plurimis contigit.

Tertiò. In eo etiam Chriſti Domini reſignatio magna fuit, cum tanta pro hominibus fecerit; tantos in Iudæis docendis labores ſuſtinuerit, ſuæ vitæ, ſuo ſanguini non pepercerit, tamen tam paucos conuerterit, & tantis impenſis & laboribus fructus longè impar extiterit. Quoties ipſe fruſtra in templo, fruſtra in priuatis domibus omni occaſione laborauit, nec tamen ideò minori affectu ſemper ad eoſdem labores rediit: Certè hoc nobis documentum eſſe debet, vt etſi fruſtra nos laborare videamus, tamen non deſiſtamus, ſed ad iniunctum nobis penſum alacriter redeamus, fortè ea reſignatio efficiet, vt ſaltem aliquis à Deo tangatur, ſi non hoc tempore, ſed poſtea cum maxima fructus multiplicatione, vt ſæpè contigit, ſaltem peccata aliqua impediemus aut Dei ſapientiam ac bonitatem à filiis

filiis ſuis iuſtificabimus,vt fecit Chriſtus,aut tandem tanquam Dei famuli, officij noſtri ad eius gloriam partes expleuerimus.Nam vt rectè S.Bernardus ad Eugenium Papam lib.4.de Conſid.Noli diffidere, curam exigit non curationem; denique audiſti. Curam illius habe, & non cura, vel ſana illum, verum dixit quidam.

Non eſt in medico ſemper releuetur vt æger.

At meliùs propono, de tuis tibi Paulus loquitur. Plus omnibus laboraui, non ait plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificaui, verbum inſolens religioſiſſimè vitans; alias autem nouerat homo quem docuit Deus, quia vnuſquiſque ſecundum ſuum laborem accipiet, non ſecundum prouentum, & ob hoc in laboribus potiùs, quàm in profectibus gloriandum putauit: ſicut alibi quoque habes ipſum dicentem. In laboribus plurimis, ita quæſo fac tu quod tuum eſt; nam Deus quod ſuum eſt ſatis abſque tua ſollicitudine, & anxietate curabit; planta, riga, affer curam, & tuas expleuiſti partes: ſanè incrementum vbi voluerit dabit Deus, non tu; vbi fortè voluerit tibi deperit nihil, dicente ſcriptura: Reddet Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum; ſecurus labor quem nullus valet euacuare defectus.

Quartò. Eius reſignatio maximè eluxit in oratione in horto, quando propoſitis antè oculos internis externiſque tormentis, cum natura refugeret pati, & potiùs agendo, hominum ſalutem vellet procurare, tamen magno animo ſe voluntati eius ſubiecit. Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, verum tamen non mea, ſed tua voluntas fiat. Ita certè fieri poteſt vt eam

Dei

Dei gloriæ menſuram quam Deus à te expectat, non tam agendo, & inſignes virtutum heroicarum actus obeundo, quam patiendo, vel in animo ſcrupulos, anxietates, ariditates, deſolationes; vel in corpore dolores & morbos, quibus ab aliis operibus gloriæ Dei procurationi ſeruientibus, planè impediaris, procurari velit.

Summa Apoſtolicæ miſſionis, & perfectionis ijs titulis & nominibus, quibus Apoſtoli in ſcriptura vocantur, comprehenſa.

QVi ad Apoſtolicæ vitæ perfectionem vocati ſunt, non inutiliter Apoſtolorum titulos, qui Apoſtolicæ miſſionis & perfectionis hactenus propoſitæ ſummam, vel omnes, vel quos volent expendere poterunt, exercendo memoriam vt ſingulos penetrent, & bene concipiant, viuáque fide apprehendant, deinde per diſcurſum affectus aliquos voluntatis excitando. Hi vero affectus varij eſſe poterunt, cuiuſmodi ſunt.

Primus admirationis, & gratiarum actionis, & amoris, quod nos tanta vocatione dignatus ſit, ita ſibi coniunxerit, in rebus tanti momenti noſtrâ operâ vti velit.

Secundus. Humilitatis, & propriæ diffidentiæ, & timoris ne nos tanto ſtatu indignos noſtra ſocordia, & negligentia reddamus, & Dei gloriam impediamus.

Tertius. Magni & generoſi propoſiti cum eius gratia, talenta & vocationis gratiam non deſerendi

deſerendi, nec vlla in re degenerandi, ſed omnem perfectionem illi conſentaneam omni ſtudio conſectandi, promouendi etiam Dei gloriam omni ope nullis parcendo laboribus, nullis moleſtiis, conſtanti, generoſóque animo quælibet aduerſa ad crucem vſque Chriſti, Apoſtolorum exemplo perpetiendo.

MEDITATIO XIX.

Quales Chriſtus Dominus Apoſtolos ſuos eſſe voluerit, & velit eſſe eos, quos ad vitæ Apoſtolicæ formam vocat, apertè ſignificat iis nominibus, quibus eos appellare ſolet.

Math. 5. PRimo enim vocat eos ſalem terræ, qui doctrina & vitæ exemplo non conſeruent tantum à putredine mundum, ſed etiam putridum iam, pœnitentiæ vi ſanent, & Deo ſapidum cibum efficiant, quamuis exemplum Chriſti ad hoc neceſſe ſit, ne ſoluantur ipſi & pereant.

Ibid. Secundò. Lucem mundi vtpote ab ipſo ſole iuſtitiæ Chriſto illuminatos & accenſos, deinde lumen doctrinæ & ſanctitatis in totum mundum inferentes, & ignem diuini amoris, quem Chriſtus venit mittere in terram, in omnium animis accendentes.

Ibid. Tertiò, Ciuitatem non in ſolitudine occultam,

tam, sed in hominum oculis, & frequentia; non in valle imperfectioris vitæ, sed suprà montem eminentis cuiusdam perfectionis positam, quæque hostibus sit terrori, & omnibus iuste & perfecte viuere volentibus perfugio & exemplo, in qua Deus habitet, quam benè componat, & sancti amoris sui legibus gubernet.

Quartò, sicut oues æternis pascuis pinguescentes, & inter lupos mansuetudinem suam & patientiam retinentes, omnibus prodesse cupientes, & in pastoris prouidentia confidentes, atque deuotas Dei & Christi gloriæ victimas.

Quintò, Prudentes sicut serpentes, simplices sicut columbæ per prudentiam aliorum insidias, & læsionem cauentes, per simplicitatem non lædentes etiam læsi, nec malum pro malo reddentes. Rursum per prudentiam captantes omnem occasionem alios lucrifaciendi per simplicitatem, id facientes sine vllo dolo malo, sine vllo intuitu proprij boni; nec desistentes, etsi affligantur, spolientur, sicut Columbæ pullis spoliatæ Columbaria non deserunt.

Sextò. Perpetuos Christi comites, & domesticos, vt sicut filius ex patris sinu emissus ad nos docendos, ita ipsi ex eius quasi sinu & à latere legati eius regnum annunciarent, & Christi perfectiones, virtutésque omnes quas oculis & mente contemplati imitarentur, & vitæ mentisque eius formam in se exprimerent, mundoque repræsentarent.

7. Amicos sponsi quos & ille plurimum amauit, & qui illum valde amarunt, quem illis amorem à patre Christus impetrauit.

8. Matrem Christi quæ continuo illum & concipiat

concipiat ſanctis deſideriis & in aliis parturiat ; donec in iiſdem formetur.

9. Miniſtros Chriſti veri Salomonis : in eum continuo intuentes, & ad eius iuſſa, & gloriam propagandam ſemper paratos.

10. Operarios agri dominici ad aratrum Euangelicum vocatos,& pleni fructu virtutum, ſemen ſalutis in aliis ſpargant, & eos omni ratione, ſine vlla ceſſatione excolant, exemplo, lacrymis, laboribus.

11. Dei & Chriſti coadiutores in ponendo Fidei fundamento & conſummando opere ſanctorum, adimplentes quæ Chriſti paſſionibus deſunt in ſuo corpore, & in vita ſua & occupationibus, ſpectaculum Deo, Angelis, & hominibus effecti.

12. Cœleſtes Aquilas, quæ & congregentur vbi eſt corpus Dominicum, vt ex illo viuant, & ament in altum ſeſe ſuſtollere, & cum opus eſt ad prædam deſcendant & ſuos fœtus in alis portent.

13. Pædagogos, imo patres populi Chriſtiani, qui ſuis eum orationibus, laboribus, verbi Dei & ſanctitatis ſemine Deo pariunt, & magna ſolicitudine nutriunt, vt illi obediens eſſe, & eius gloriæ ſeruire velit.

14. Belli ſpiritualis duces ad famem, ſitim, labores, vigilias, pugnam, mortem, præeuntes cæteris, & expertos primum in ſe hoſtium fraudes, & eorumdem victores per Chriſtum.

15. Sapientiæ Architectos qui in ſe primum totius ædificium perfectionis firment, & turrim Euangelicam conſtruant, deinde in aliis.

16.

16. Tubas Euangelicas spiritu oris Christi semper plenas, & non voce tantum, sed præcipuè exemplis totum mundum percellentes.

17. Vitis Christi palmites ex illo continuo succum trahentes, & inde suauem fructum producentes.

18. Odorem bonum Christi, quos nempe Christus sibi intimè vnitos & quasi incorporatos sui spiritus, vitæ, perfectionis ex se veluti odorem misit.

19. Spirituales mercatores, & procuratores, Dei negotia in hoc mundo gerentes, quibus vbi Talenta distribuit, ait. Negotiamini donec venio.

20. Frumentum areæ Dominicæ prætiosius ad hoc separatum vt cadens in terram moriatur, & multum fructum adferat.

CAPVT XXIX.

Ad Tertiam hebdomadam de Domini Passione.

PARAGRAPHVS I.

Deus viros Apostolicos perficit tandem rebus aduersis.

EX secunda hebdomada satis notum est, perfectum Dei amorem, & gloriæ eius procurationem, includere intrinsecè propriam abnegationem

gationem in omnibus rebus, per liberum virtutum Apostolicarum vsum: cum enim ea perfectio in eo posita sit, vt ita Deum pure amemus eiusque gloriam procuremus, sicut ipse seipsum amat, & suam sibi gloriam procurat, necesse omnino est vt continuâ abnegatione nostri, non tantum omnem terrenarum opum corporearúmque voluptatum, & honorum, vanitatúmque mundanarum affectum ex animo nostro eiiciamus, sed etiam omnem nostrum amorem etiam honestum exuamus. Hæc verò tanta abnegatio vix potest propriis actionibus fieri, vt id omne quod est humanum exhauriat, atque ad fundum vsque pertingat. Nam cum homo naturali affectu ab iis adeo asperis & difficilibus perfectæ mortificationis studiis plurimum deterreatur, & ex alia parte, cum maiori feruore agitur, periculum esse potest ne excedat, frequenter contingit vt siue amore, siue timore ab illis exercitiis & functionibus abstineat, quæ ad eam vitæ & amoris Dei puritatem, diuinæque gloriæ procurationem essent necessariæ. Quare sapientissimè diuina prouidentia ita res humanas disposuit, & amicorum suorum vitam moderari constituit, vt plurimi quotidie aduersi casus occurrant vltro nihil cogitantibus, quibus proinde efficacius suffocatus proprius amor prorsus intereat, & vni purissimo Dei amori, ad eius gloriam cedat. Cum enim eos vere & perfectissime deligat, & vt omnis perfectionis artifex, & idea eos sibi reddere simillimos velit, nonnunquam communibus huiusce vitæ miseriis conflictari eos etiam grauiùs quàm cæteros permittit, aliquando impiorum hominum crudelitati, ac persecutionibus

ſecutionibus obiicit, ſæpè Dæmoni affligendos relinquit, denique non rarò ipſe variis eos rationibus probat & exercet, atque ita quod ipſi propriis actionibus rectè, & honeſtè facere non potuiſſent, cum nemo ſibi manus afferre, nemo grauibus ſeſe periculis obiicere licitè debeat; ipſe illatis ab extrinſeco, aliorum voluntate, & actione iſtiuſmodi malis, eos perficit, vt tandem omnibus aliis bonis atque adeò aliquo modo ſeipſis, quaſi non ſint, id quod ſunt, extra ſe eiectis, ſoli Deo, eiúſque gloriæ viuant. Huius extrinſecæ operationis fundamentum quoddam eſt, prior vita omnis generis mortificationibus, & virtutum actionibus, propriâ voluntate ex amore Dei, & gloriæ eius procuratione ſuſceptis, exercita. Quãuis enim communibus huius vitæ miſeriis, imò caſibus quibuſdam extraordinariis etiam imperfecti aliquando pulſentur, & iuuentur etiam paſſionum certamine, rarò tamen diuina prouidentia ad ardua pro ſuâ gloriâ obeunda eos euehit, qui nimium adhuc amantes ſui indulgentius ſeſe habent, à ſui mortificandi ſtudio alieniores ſunt, corporis, & honoris etiam, & famæ exactam nimis rationem habent, aſpera carni, vel propriæ inclinationi, ac voluntati contraria reformidant. Et certè quos olim Martyrij certamen admiſit, fuiſſe pœnè omnes legimus non opum tantùm, & voluptatum, atque mundi, ſui, vitæque propriæ contemptu inſignes, adeò vt his veluti ſtudiis, quaſi quibuſdam priuatis exercitiis eruditi priùs à ſupremo hoc agonotheta videantur, quàm in publicum certamen ad fidei veritatem & Dei gloriam propugnandam prodirent, priùs generoſo ſui odio ex amore Dei per varias vitæ ſuæ ſiue

priuatæ siue publicæ actiones, & functiones amori proprio mortem intulerint, quam ad illatas ab aliis iniurias ferendas vocarentur.

Hoc igitur fundamento posito solet diuina bonitas Athletis suis generosiora desideria patiendi ad Dei gloriam plura grauioráque immittere: cum enim diuinæ maiestatis infinitam excellentiam, & bonitatem contemplantur, & ex altera parte quam parum illud sit quod ad eius gloriam, & pro eius amore facere ipsi possunt; exardescunt illicò inflammatis desideriis extrema quæque patiendi vt tanquam perfectissima holocausta ad eius honorem consummentur, & veluti in nihilum redacti Deum adaugeant.

Verùm cum in vitæ huius tenebris positi, & suæ fragilitatis conscij, nesciant, an, quid, quomodo pati possint, aut an hoc etiam modo Deus ab illis suam gloriam amplificari velit, hæc tanta desideria sanctissimæ eius voluntati submittunt. Nec enim ignorant Deum, cùm infinito amore seipsum prosequatur, scire qua mensura quibusque modis, & afflictionibus internis an externis; perpetuis, an breui tempore finitis, per vnumquemque velit gloriam suam promouere.

PARAGRAPHVS II.

Gloriam Dei maiorem per aduersa promoueri.

QVamquam ex vltro susceptis perfectionis studiis, & propriæ abnegationis operibus, atque

atque actiuæ vitæ functionibus illustrari plurimùm soleat Dei gloria, longè tamen splendescit illa, cum mala quæ nobis circa honorem eius amplificandum occupatis, vel euenire permittit, vel immittit, patienti & æquo animo toleramus. Imprimis enim mirum quantum id nostram perfectionem ad summum veluti apicem promoueat. Nam vt paulò antè dicebamus, quod vltro susceptis exercitiis fieri nunquam consueuit, quicquid in nobis est proprium, quicquid humanum sapit, fortiter expurgat, & diuinum dumtaxat bonum in nostræ voluntatis fundo relinquit, atque ita voluntatem nostram efficit tandem diuinæ voluntati perfectè conformem, vt nimirum probemus quæ sit voluntas Dei non tantùm bona & beneplacens, sed etiam perfecta: quo fit vt ea perfectione quasi quodam bono suo mirum in modum diuina voluntas delectetur, & sibi complaceat. Nam in omni actione nostra necessario aliquid nostrum est quod secretâ quadam familiaritate, delectatione nonnullâ tanquam pabulo amorem proprium nutrit. At cum quid patimur, nihil necessariò nostrum est præter ipsum pati, id est esse subiectum illius actionis, qua Deo vel agente, vel permittente patimur; Deus autem ex hac sua actione, & permissione, gloriæ suæ bonum purum liquidumque, provt ipse cupit, pro infinito eo amore quo eam prosequitur, colligit. Quare quicquid hic inuenitur, Dei agentis, & gloriam suam eo quo placet ei modo, colligentis; & humanâ voluntate sibi liberè resignatâ, tanquam propriâ vtentis, opus proprium est. Quid igitur mirum si in eo sibi complaceat, & delectetur? atque inde etiam fit vt perfectionum

ſuarum ſplendorem amplius & perfectius diffundat. Cùm enim optimè comparata ſit viri perfecti & patientis voluntas ad quaſvis actiones excipiendas, Deus optimus Max. gloriæ ſuæ ſummus artifex, nihil veretur quibuſlibet eam aduerſis in illum finem exercere, atque vt impios terreat, & iuſtitiæ ſuæ ſeueritatem teſtatam faciat, communibus etiam calamitatibus grauiſſimè nonnumquam affligi pietate inſignes viros, ſanctiſſimè permittit, & iuſtos quoque tribulari, vt Apoſtolus loquitur, in exemplum iuſti iudicij Dei. De quo B. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 2. preſſuras, inquit, perſecutionéſque iuſtorum dicit Apoſtolus eſſe exemplum iuſti iudicij Dei: hinc enim intelligitur quomodo non parcatur impiis, tanquam ſarmentis præciſis ad combuſtionem, quando iuſtis non parcitur propter perficiendam purgationem; ita Diuus Auguſtinus.

Sed mirum in modum per huiuſmodi caſus aduerſos emicat admirabilis Dei ſapientia, potentia, & iuſtitia; cùm enim ea ſit hominum conſuetudo, vt ad magnam rerum molitionem præſtantiſſima quæque inſtrumenta adhibeant, quis non obſtupeſcet diuinæ ſapientiæ conſilium, quæ eos quos ad res magnas perficiendas elegit, tribulationibus & aduerſis caſibus ita plerumque atterit & abiicit, vt tantis operibus inutiles prorſus forè videantur? quis rurſus eiuſdem potentiam non admirabitur? cum eoſdem grauiſſimis confractos ærumnis, ac vt loquitur Apoſtolus, reſponſum mortis habentes, & propè deſperatos non reuocat dumtaxat ad vitam, ſed etiam ad res magnas efficiendas ſurſum erigit.

Quis iuſtitiæ eius æquitatem non extollet? quæ

vbi

vbi eosdem innumeris hominum contumelijs, irrisionibus & ludibrijs, calumniisque obiecit, & despicatissimorum mancipiorum instar, contemni & omnium pedibus conculari permisit, subitò posteà magnis honoribus auctos, vel admirandis & naturæ vim excedentibus operibus insignes, vel rebus præclarè gestis conspicuos, tanquam lucentissimas faces in candelabro collocat: quis iterum non magnificiet eius potentia? quæ infirmas creaturas vniuerso Dæmonum tyrannorúmque omnium ac totius mundi furori oppositas, ita vi gratiæ suæ confirmauit, vt superata eorum crudelitate, victis tormentis, domito furore, de iis gloriosè triumpharent, vel potius in iis, ipsa Dei gratiâ de omnibus mundi malis triúmpharet; adeò vt non immeritò Tertullianus Beatum Iob non tantum operarium victoriæ Dei, sed etiam gloriæ eius vexillum ac feretrum, & quemdam veluti triumphantem currum appellarit.

Verùm pertinet & illud ad Dei gloriam, quod non alia magis ratione detegat seruorum suorum veram & solidam sanctitatem, atque adeo eos toti mundo conspicuos reddat: hæc enim tanta eorũ virtus probata, sicut aurum in fornace, tot ærumnis, hominibus admirationi est, ita nimirum in gloriam eius plurimum redundat, qui eius author est, & ad cuius iustitiæ laudem pertinet, vt tanta sanctorum virtus tribulationis vi foras erũpat, & in hominum opinione splendescat.

Atque inde etiam fit, vt tot aduersitatum ictibus protrusa in apertum virtutum omnium clarissima exempla omnium animos non erudiant modò, sed etiam vehementer ad omnem hone-

ſtatem accendant. Quis enim cum B. Ioſephi, B. Iob, Tobiæ, Martyrumque denique paſſiones intuetur, inde non diſcit, quanti Deus, eiuſque amicitia & gloria, quanti virtus fieri debeat, pro quo videt tantâ alacritate viros prudentiſſimos & ſanctiſſimos extrema quæque pati voluiſſe, atque adeo tanquam deuotas Deo victimas holocauſtorum inſtar conſumptos & quodammodo in nihilum redactos eſſe. Quamquam enim cæterarum virtutum exempla plurimam vim habeant ad animos mortalium permouendos, habent tamen hæc de quibus agimus neſcio quid admirabilitatis, quo maiori vi hominum animis non huius aut alterius virtutis, ſed omnium pœne ac præcipue Fidei, Spei, Religionis, amoris in Deum & proximum, fortitudinis, mundi, reeumque omnium ac ſui contemptus, & id genus cæterarum pretium commendant, & ad earum honeſtatem, vltra quam credi poſſit, incitant, quarum et ſi omnium aliarum virtutum exempla in viris ſanctis nullo Deus tempore deeſſe voluerit, nullius tamen tot tamque illuſtria quàm patientiæ extiterunt, quæ vbi commemorauit Apoſtolus aptiſſimè nubem vocat: habentes, inquit, tantam impoſitam nubem teſtium per patientiã curramus aſpicientes in authorem Fidei, & conſummatorem. Nubes enim vere ſancti ſunt, tum quia infinita propemodum multitudine nubis denſitatem adæquant, tum quia afflictionum & miſeriarum vi à bonis omnibus creatis, atque adeo ſeipſis deſciſcentes atque diuiſi cæleſtis patientiæ exemplis velut fœcundis imbribus præclaros, contemptus mundi, amoris Dei virtuumque omnium fructus in nobis exſuſcitant, nutriunt

nutriunt, & ad maturitatem perducunt. Patientia enim opus perfectum habet.

Et certè quamquam præclariſſima extiterint, & ad Dei gloriam, & ad noſtram mutationem virtutum opera, quæ Chriſtus Dominus toto vitæ tempore edidit, longè tamen manifeſtiùs vnà paſſionis die, dilacerato tot vulneribus, attrito tot doloribus, toto operto plagis corpore, effuſa antè oculos intima viſcera miſericordiæ & benignitatis, ſapientiæ item, & iuſtitiæ abditiſſimas opes atque adeò gloriam Dei patefecit, longè clarioribus,& potentioribus virtutum omnium exemplis, vnà cum ſanguinis ſui effuſione duritiem cordium noſtrorum irrorauit. Quare nihil mirum eſt,ſi quos Filio ſuo conformes eſſe prædeſtinauit, poſtquam eos vocauit, iuſtificauit primum, deinde ſanctificauit, eoſdem denique variis exercitos aduerſitatibus glorificet,& toti mundo conſpicuos reddat.

PARAGRAPHVS. III.

Quænam ſint illa quæ viros Apoſtolicos perpeti ſæpè oportet ad Dei gloriam.

SVauis Dei prouidentia voluntates quidem noſtras diuino amore ſuccenſas, rerum tamen etiam terrenarum vſu & affectu, etiam bene ordinato implicatas vt repurget admirabilis eſt, cum enim optimè nobis eſſe velit, non niſi ex ardentiſſima amoris erga nos fornace hæc nobis aduerſa, quæ euenire permittit, emanare queunt, vt omnia nobis in bonum cooperentur. Solet

autem inchoare à vilioribus nimirum fortunæ bonis, non quidem ſuperfluis tantùm, quod Deum amanti, & terram paruipendenti durum non eſt, ſed etiam à neceſſariis ad vitam, vel honeſtam ſuſtentationem, aut ea pietatis officia quæ charitatis, & proximorum ratio aliquando neceſſaria expoſcit: Nec verò ſimul omnibus ſpoliat, ſed ſenſim, vt Diuus Gregorius notat de B. Iob, qui omnibus facultatibus per partes Deo permittente ſpoliatus, cùm eſſet omnium Orientalium ditiſſimus, in extremam nuditatem, & paupertatem redactus eſt, adeò vt diceret. Nudus egreſſus ſum de ventre matris meæ, nudus reuertar illuc, nihilque ſupereſſet ad vitam tolerandam, & inſignia illa miſericordiæ opera quæ priùs exercebat: & certè nec iis bonis erat nimium affectus, nec iis malè vtebatur, quin potiùs in pauperum vſus largè conſumebat, adeò vt diceret ſe buccellam ſuam ſolum non comediſſe. Quamquam enim animus illis inordinatè non adhæreat, ipſa tamen rerum terrenarum ſollicitudine plena procuratio, & poſſeſſio, non poteſt non impedimento eſſe puritati & ſimplicitati amoris Dei, qui ſolius Dei poſſeſſione, & procuratione eius gloriæ gaudet: fit enim ſæpè vt ſancti etiam viri iis quæ poſſident, confidant,& in eorum adminiſtratione velint nolint excedant aliquantulum. Id ipſum vſu venit in librorum aliarúmque rerum ad pietatem etiam pertinentium vſu, etſi nihil ſit ſuperflui. Nam licèt affectum paupertatis retineamus, tamen non ſemper nos omnibus ſpoliamus propter Deum, ſed ob certas rationes quas ad maiorem Dei gloriam eſſe putamus, conſeruamus aliqua, iis bene vſuri ad Dei gloriam.

Quod

Quod ergo paupertatis affectus non potuiſſet à nobis euincere, vt propriis actionibus nostris ſpoliaremus, id facit Deus, atque ita declarat non eſſe voluntatis ſuæ vt vſu illo honeſto rerum huiuſmodi, ſed potius earundem priuatione gloriam ipſius promoueamus. Huius ſpoliationis etiam in Chriſti paſſione habemus exemplum, qui cum nihil haberet præter tunicam, etiam eâ ſpoliatus eſt & nudus cruci affixus. De hac nuditate gloriabatur Apoſtolus: vſque in hanc horam & nudi ſumus &c. Et qui ſpiritu Criſti pleni ſunt, nulli rei affixum affectum habent, ſed omnibus exui, ſi ita res ferat, etiã optãt.

Secundus gradus eſt earum afflictionum, quibus corpus exercetur, ac proinde naturalis eius amor planè exſcinditur, & radicitùs euellitur. Nam cum nec amor naturalis, nec etiam ratio ipſa patiatur, vt propria actione per mortificationis ſtudia corpus vltra modum atteramus, ad magnam vtilitatem noſtram permittit Deus, vt dum eius gloriæ vacamus, ſiue naturaliter, ſiue fortuitò, ſiue aliorum malitiâ, morbis grauibus, vulneribus, mutilationibus conficiamur, quibus omnibus malis æquo animo humilitérque ferendis exercetur Dei amor, & ad maxima incrementa, deleto ſenſim omni proprij corporis amore, perducitur. Nam id etiam familiare eſt viris ſpiritualibus valetudinem magni æſtimare, ſtudioſéque ac ſollicite eam ad Dei gloriam variis functionibus amplificandam conſeruare; qua in re, etſi, quod ſæpe fit, non excedant, tamen amor ille diuinæ gloriæ per illam corporis integritatem augendæ, coniunctum habet amorem & deſiderium eiuſdem integritatis, quod licet bene ordinatum ſit, tamen eſt boni cuiuſdã naturalis amor & deſiderium: Quare nonnunquam Deus hoc etiam bono

ſuos

ſuos ſpoliat,tum vt ex ſui cognitione profundiùs humilientur, & ita aptiores ſint ad res magnas,tum vt inſigni patientia,ſuperato Dæmone & mundo,atque omni proprio amore,longè maiorem Deo gloriam tribuant. Ad eum modum B. Iobum non vno morbo,ſed innumeris prope iiſque acutiſſimis,& inſuper totius corporis peſſimo vlcere percutiendum Dæmoni permiſit,& Filium ſuum innumeris corporis doloribus per flagella, coronā ſpineam,crucem denique, & acerbiſſimos dolores conſummari voluit.Cum enim tantum ſit bonum, Dei gloria,& amicitia,non eſt tantum terrenis omnibus præferendum,ſed etiā ipſi vitæ noſtræ:quare ſuos Deus non tantum ſpoliari bonis, ſed etiam corporis integritate ac viribus,imo vitâ ipsâ voluit, atque ita puriore amore ab illis diligi,vt etiam quanti Dei amicitia facienda ſit,alij omnes intelligerent. Quare nulla de re frequentiùs gloriatur Apoſtolus quam de tribulationibus, fame,ſiti,frigore, & id genus corporis afflictionibus quas pro Chriſto tolerabat.

Hinc ſequitur iactura famæ,honoris,fauoris,& amicitiæ humanæ,quæ bona cum altioris cuiuſdā ordinis ſint,voluntatem deliniunt ſuauiùs,& potentiùs occupant,& cum indifferentia ſint, videntur ſine labe poſſe quæri,præſertim cum ad bonum finē atque adeo Dei gloriam,ad quam valere poſſunt plurimum, referuntur.Itaque multi quidem ferunt ſatis facilè corporis mortificationes;at verò vbi de contumeliis & opprobriis atque infamia & contemptu agitur, grauiùs id ferrè conſueuerunt: quamquam autem ij qui in perfectionis ſtatu degunt,amori Dei longiſſimè omnia bona hæc poſtponāt,longè tamen magis vis eluceſcit,cum re ipſa

pro

pro occasione non ab externis solum, aut hostibus, sed ab amicis etiam & domesticis, vsque coniunctissimis deseruntur, conteptui habentur, conuitiis & contumeliis lacessuntur, & instar vilissimorum mancipiorum non tantum despcatui habentur, sed etiam durissimis & vilissimis rebus exercentur, omnium prope pedibus proculcantur: Tunc enim expurgatus hoc igne Dei amor mirum in modum splendescit; etsi enim sæpe non expèdiat ad Dei gloriam, famam propriam prodigere, tamen cum diuina prouidentia hoc vti instrumento ad suam gloriam non vult, sed potius infamia & contemptu, atque ea mala permittit euenire; tunc verò in camino ignominiæ nescis quomodo puriùs enitescit Dei amor, quam inter humanæ gloriæ pompas, & applausus etiam ad Dei gloriam relatos. Et hoc etiam modo probatus fuit S. Iob, qui uxoris & amicorum conuitia, contumelias, opprobria, detractiones cum tanta infamia forti animo tulit, sed incomparabiliter magis Christus Iesus, tum in omni vita, tum in passione & cruce illa infami, tanquam sceleratus, & grauissimorum criminum reus publicâ sententiâ suspensus, innumeris Iudeorum oppobriis, irrisionibus, maledictis expositus.

CAPVT

PARAGRAPHVS IV.

Non externis solum malis, sed etiam internis Deus viros iustos ad suam gloriam exercet.

ATque hæc bona parui momenti sunt,& ideò facilè generosus Dei amor patitur se iis spoliari. Verùm alia quædam sunt spiritualia,quæ diuino amori non tantùm non aduersantur,sed plurimum etiam prodesse solent,quibus tamen interdum diuina prouidentia nos spoliat, vt humiliùs & solidiùs à nobis diligatur,& maiorem gloriæ suæ fructum recipiat.

Horum spiritualium bonorum genera sunt plura: in primo ordine reponendi sunt habitus ipsi virtutum, qui cum valde occulti sint, adeo vt eorum priuationem vel augmentationem nullo certo indicio sentire possimus, non spectant ad hanc tractationem; præsertim cum eorum priuatio non possit esse nobis non noxia.

In Secundò ergo ordine sunt prædictorum habituum actus & virtutum exercitia siue externa, siue interna; nam iis, inquam, indiciis nostrum profectum deprehendimus; qui enim in prædictis Apostolicæ vitæ functionibus & virtutibus diu exerciti sunt, fieri non potest quin magna cum facilitate virtutum illarum actus siue internos siue externos obeant;quia facilitate possunt

ſunt nonnunquam à Deo priuari, ſic aliquando vix ac ne vix quidem ſolita virtutum exercitia poſſint retinere, adeoque ob ſuam ipſi tarditatem, & quamdam inutilitatem affligantur plurimum, & ingemiſcant, atque etiam terreantur ac timeant, ne in priſtinas imperfectiones & peccata, ad quæ vehementer ſollicitantur, relabantur.

In Tertiò ſunt ſancta vitæ perfectionis deſideria, agendi item & patiendi plura pro Dei gloria, quæ in viris Apoſtolicis incenſa eſſe ſolent, quæ etiam nonnumquam debilitari Deus permittet.

In Quartò, eſt pax quædam ſine vllo timore, cum enim tantam Dei gratiæ abundantiam, tantam in vſu virtutum omnium facilitatem, tot lumina, deſideriáque adeo inflammata in ſe quis experitur, non poteſt non in has pſalmiſtæ voces erumpere: Dixi in abundantia mea non mouebor in æternum; ſed auertente ſubinde Deo faciem ſuam, ita conturbatur, vel ſcrupulis vel variis tentationibus agitur, vt iam plane à Dei amicitia alienus, atque prope in inferno quodam viuere videatur.

In Quintò denique eſt delectatio, quæ non poteſt non ſequi vel virtutum exercitia, vel perfectionis maioris deſideria, vel animæ pacem; hæc enim ideo magna bona ſunt, vt cum ea ſe poſſidere quis videt, non poſſit non rationabiliter gaudere: hæc verò delectatio ſi de iis bonis oriatur quatenus Dei gloriæ ſeruiunt, & bonitatis eius diuitias continent, ex Dei amore tanquam ex propr o fonte promanat, ſi vero ex iiſdem quatenus nos perficiunt,

ciunt, ex amore nostri recto profluit: quod si se intra voluntatem ipsam contineat, purè spiritualis est & substantialis vocatur, si vero in sensitiuum appetitum deriuetur, sensibilis dicitur.

PARAGRAPHVS. V.

Quo discrimine perfecti & imperfecti viri aduersa quæ contingunt, patiantur.

EA est humanæ vitæ conditio, vt semper in ea aliquid patiendum sit, nullusque omnino sit siue incipiens, siue proficiens, siue perfectus, cui non multa quotidie contraria occurrant: verum, etsi ita sit, diuerso tamen modo à perfectis siue viris Apostolicis tolerentur aduersa, quam ab incipientibus.

Primò enim quæ ab incipientibus tolerantur, ad purgationem solent referri, ab aliis vero vel ad vnionem cum Deo, vel ad Dei gloriæ procurationem. Nec enim incipiens, quæ sibi contraria contingunt, eo proprie animo suscipit, vt Deo inde gloria aliqua pariatur; sed quia immediate videt per vitæ huius mala satisfieri prioribus peccatis & impediri posteriora, & corroborari virtutem patientiæ, qua instructus non facile propter ingruentia mala in posterum moueatur, turbetur, distrahatur, diuellaturque à quieta & tranquilla Dei fruitione. At vero perfectus totum

tum in Dei gloriam refert.pro qua etiam conſumi & conteri gaudet;& tantum abeſt vt exinde turbetur,vt potius augeatur pax quam cum Deo habet, creſcátque magis ac magis cum Deo vnio & amor his occaſionibus prouocatus , non ſecus atque quando ardenti foco exigua aqua affunditur, accendatur.

Secundò. Non tantum in fine quem ſibi conſtituunt , cum patiuntur , differunt , ſed in iis ipſis quæ patiuntur : in initio illa communiter toleranda ſunt, ſine quibus vita præſens ordinariè non ſolet traduci : ſic enim D. Cyprianus de mortalitate. Quoddam , inquit mouet , quod nobis cum gentilibus ſit communis iſta mortalitas. Et paulo poſt reſpondet. Non ad hoc credit Chriſtianus , vt immunis à contractu malorum , feliciter mundo perfruatur , ſed vt omnia hic aduerſa perpeſſus ad futuram lætitiam reſeruetur , quandiu in iſto mundo ſumus , cum genere humano carnis æqualitate coniungimur , ſpiritu ſeparamur : viris Apoſtolicis ſæpe permittente Deo & fræna laxante ſiue Dæmoni , ſiue Mundo, grauiſſima quæque & maximè extraordinaria ſunt toleranda , tum vt illorum virtus , tum vt Dei gloria magis illuſtretur. Quare Sanctus Cyprianus ibidem. Scire debet Chriſtianus plus ſibi quam cæteris in ſæculo laborandum, cui magis ſit cum Dei impugnatione luctandum : & Beatus Auguſtinus in pſal. 50. Prior labor eſt , ait , vt diſpliceas tibi , vt peccata tua expurges , vt muteris in melius. Secundus labor eſt pro eo quod mutatus es, ferre tribulationes , & tentationes huius ſæculi,

culi & inter eas perſeuerare vſque in finem & Sanctus Gregorius lib.6.Regiſt.Confidenter dico,minùs piè viuis,ſi minus perſecutionum pateris.

Tertiò, vt plurimum qui perfecti ſunt,ea quæ patiuntur,propter iuſtitiam patiuntur, atque adeo propter bona illorum opera & dum bene agunt,& Dei gloriam promouent. Alij verò non tam idcirco ſaltem ordinariè,quàm propter nonnullas eorũ imperfectiones,quarum ſaltem prætextu, quæ eos affligunt mala,iuſte quodammodo irrogata videri poſſunt.

Quartò denique ſolent imperfecti adhuc cum magnis imperfectionibus aduerſa tolerare,& facilè frangi.Nam plerumque turbantur ipſi ſecum,& qui augere debuiſſent pietatis exercitia & orationis ſtudium,deſerunt;ad externa auxilia & conſolationes profugiunt,operosè & anxiè ſuam famã tueri conantur,repellunt acriùs eas iniurias,in vltionis deſideria erumpunt,impatientiæ & triſtitiæ inordinatæ ſe dedunt,& abſorberi plerumque patiuntur. Contrà verò virorum perfectorum & Apoſtolicorum virtutes in camino aduerſitatum probatæ perficiuntur & ſplendeſcunt.



Quanam

Quænam potissimum virtutes exerceantur à viris Apostolicis, cum quid patiuntur.

MVltæ eæque magnæ, atque adeo in gradu heroico.

Prima est amor erga Deum, & proximum siue Zelus gloriæ diuinæ, & salutis animarum. Et vero in Christi Domini pectore ita exarserat hic ignis, vt nullis tribulationum, & tormentorum aquis nulla hominum ingratitudine extingui posset. Quare non solum extrema pro Dei gloriâ & hominum salute pati voluit, sed etiam ea ipsa quæ patiebatur Deo patri in eius gloriam qui eum pati ita volebat, & pro eorum à quibus patiebatur salute offerebat, & insuperabilis plane charitatis ardore pro ipsis crucifixoribus orans, illata ab illis tormenta in eorum vtilitatem ad Dei honorem ordinabat. Ita nimirum viri Apostolici postquam agendo vt potuerunt, Dei gloriam, & proximorum salutem promouerunt; id quod restat, cupiunt se prorsus consumi & in nihilum redigi, vt Dei honorem seipsis adaugeant: quare ad famem, sitim, frigus, tormenta, ad cruces, ad mortem, insatiabili planè desiderio properant vt illis ipsis à quibus patiuntur, salutem pariant: quare tantum abest vt malum pro malo reddant, aut se defendant, etsi id iustè facere possent, quin oblatas patiendi occasiones vt efficacia media ad Dei & proximi bonum magna cum auiditate acci-

piant, licet illis displiceant peccata quibus hæc mala inferuntur.

Secunda excellens quædam nuditas & omnium quæ in mundo sunt, expoliatio atque contemptus, vt in Christo Domino patet, qui si vmquam, certe in passione & cruce pauper fuit, cum propriis exutus vestibus, & cruce nudus affixus fuerit, & in ea nuditate mortuus: vilescunt sane tempore persecutionum terrena omnia; si enim ipsa Apostolicis viris anima sua vilis est præ Dei amicitia & gloria, quanto magis cætera? Itaque cum mundi rabies ab hac spoliatione incipiat vt plurimum contra Dei seruos furere, terrenorum omnium contemptus, & paupertatis amor, tota vita variis probationibus exercitus, longè debet esse robustiór.

Tertia est pœnitentia & mortificatio quædam excellens qualis in Christo Domino fuit qui cum esset innocentissimus, in ipso tamen momento conceptionis suæ, pro eius luminis, quo perfundebatur, abundantia videns quot, quamque horrendis hominum peccatis supremus ille honor & amor quem Deo deberi cognoscebat, indigne proculcaretur, eo totam vitam retulit vt diuinæ iustitiæ ita offensæ satisfaceret, atque ita continuo atque adeo vehementi de tot iniuriis dolore cor eius transfixum in perfectissimarum virtutum actiones tum externas, tum internas erumpebat, quibus volebat tantum Deo honorem reponere, imo maiorem, quantum iniuriæ & contemptus, omnia hominum peccata inferre poterant. Itaque cum tota vita vltro plurima toleranda susceperit, tum verò in ipsa passione in qua cum potissimum ex

Patris

Patris voluntate pro hominibus ſatisfacere deberet, inexplicabiles & in anima, & in corpore dolores quantum ipſa natura poterat, ſuſtinere voluit, vt eſſet copioſa redemptio. Hoc enim ſpiritu pleni viri Apoſtolici licet ſancti ſint, nunquam tamen ſine intimo cordis dolore viuunt, cum diuinam maieſtatem toties ab aliis offenſam vident; atque ita vt eius iuſtitiæ ſatisfaciant vehementi illo ac continuo doloris ſenſu non contenti, quicquid pœnarum in mundo eſt, quicquid moleſtiarum, quicquid mortificationum, optant in ſe venire, & millies & millies ſi poſſent, mori vellent, vt Deum contentum reddant.

Quarta eſt vanæ hominum exiſtimationis, & honorum omnium, atque adeò famæ propriæ contemptus: ſic enim Chriſtus Dominus tanquam diuinæ humanæque maieſtatis reus, ſeditioſus, incantator, blaſphemus, vini potator, populi ſeductor, & accuſatus & damnatus eſt, & maxima cum infamia inter duos latrones tanquam inſignis malefactor crucifixus & mortuus; tota quidem vita impiorum Iudæorum maledicta & contumelias ſuſtinuit, ſed in cruce ipſa admirabile fuit ſpectaculum, cùm rex gloriæ tribus horis iacta in ſe conuitia, & contumelias adeò patienter tanquam in regia ſede exceperit, quale tunc erat eius iudicium de vanis mundi honoribus, opinione, & fauore?

Quinta eſt ſolidiſſima, & profundiſſima humilitas quæ in eo conſiſtit quod cum Filius Dei eſſet innocens, ſanctus, & ipſa ſapientia, potentia, & gloria Patris, tamen non contentus ſerui formam accepiſſe, atque ita ſe exinaniuiſſe,

voluit illam ſuam maieſtatem, ſanctitatem, ſapientiam, potentiam, tormentis, conuitiis, cruce atque morte ipſa non ſolùm tegi, ſed etiam prope obrui, vt Dei bonitas, miſericordia, ſapientia, potentia, in eius ignominiis, humilitate & abiectione illuſtrior appareret, quamquam igitur à primo momento conceptionis illuminatiſſima illa Chriſti anima ſuum ipſa nihilum perfectiſſimè agnoſceret, ſuaque omnia vt non ſua, ſed Deo in Dei bonum referret, in paſſione tamen reipſa cum ſe tot vltro tormentis obiecit, quid aliud teſtabatur quam ſuam aduerſus Deum ſubmiſſionem, cuius gloriæ tanta cum ſui deſpectione ſeruiebat? Atque ita viri Apoſtolici excultam prius humilitatem cùm toleranda ſunt aduerſa, non ſolùm oſtendunt, ſed etiam perficiuntur, vt non tantum non indignentur, ſed ſe iuſtè pati exiſtiment, & vehementer gaudeant ſuis ſe ignominiis & opprobriis aliquam Deo gloriam poſſe parere.

Sexta eſt diffidentia ſui, & generoſa quædam in Deo fiducia, nam hominum perſecutionibus omnis quodammodo virtus atteritur, vt ipſi planè de ſe diffidendi magnam occaſionem habeant, & in Deo ſolo confidendi qui ita nos veluti opprimit, vt in eius bonitate, & potentia confiſi, non ſolùm, non experiamur, ſed totus etiam mundus, quam fidelis ſit, quam bonus, quam ſapiens, quam potens, cum ex tot malis noſtris tanta bona ad ſuam gloriam, noſtram coronam, & proximorum ſalutem expromat. Sic D. Paulus 2. ad Corinth. 1. teſtatur. Non enim volumus, inquit, ignorare vos fratres de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſuprà

ſuprà modum grauati ſumus ſupra virtutem,ita vt tæderet nos etiam viuere,ſed ipſi in nobis ipſis reſponſum mortis habuimus,vt non ſimus fidentes in nobis,ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos,qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit , in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet.

Septima eſt excellens religio erga Deum. Nam longè perfectiùs quàm antea ſe Deo Sacrificium offerunt,ſicut Chriſtus Dominus qui cum in tota vita & oratione & ſui oblatione Deo Patri gratiſſimum Sacrificium exhibuerit,non fuit ita tamen illud perfectum,donec in ipſa cruce conſummaretur.Sic enim quando aliquid reſtat quod pro Dei gloria vel agere vel pati poſſumus,nondum perfectæ Déo victimæ ſumus:in ipſius ergo rebus aduerſis ipſa noſtri oblatio & humilis oratio vt Deus nō deſerat, ſed hoc Sacrificium in ſuum honorem, & proximorum ſalutem acceptare dignetur,virtutis huius omnem perfectionem , quæ non verbis ſolum,ſed etiam rebus ipſis in Dei honorem conſumptis exercetur,complectitur.

Octaua eſt patientia & tranquillitas animi ſiue manſuetudo quâ fiat vt alacriter omnia perferantur,nulli malum pro malo reddatur,ſed contrà vincatur in bono malum,& Chriſti exemplo qui non ſolum tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit,ſed etiam magno compaſſionis affectu ob eorum malitiam permotus pro illis cum lachrymis patrem orauit.

Nona eſt reſignatio perfecta,& plena ſui derelictio in Dei manibus,atque conformatio voluntatis noſtræ,cum diuina in omnibus,cuius exemplum Chriſtus Domiuus potiſſimum in paſſione nobis præbuit, cum externis interníſque preſſus angu-

ſtiis oraret Patrem. Tranſeat à mecalix iſte: verum tamen non mea voluntas,ſed tua fiat.Hæc enim virtus non ſolum eſt perfectiſſima,ſed cæteras omnes ambit:nam voluntatem ſuam cum Dei voluntate conformare eſt excellens Dei amoris actus,qui coniunctus eſt cum maxima in Deo tanquam fideliſſimo amico,& amantiſſimo patre confidentia,& cũ profunda humilitate,& ſui derelictione atque abnegatione,omniúmque rerum inferiorum contemptu. Hoc actu voluntas nõ ſolum bona omnia quæ pro obiecto habet,ſed etiam ſeipſam planè & ex integro in Deum eiuſque voluntatem refundit,vt modo quodam Dei voluntatem in gloriæ ſuæ procuratione iuuet,idque non pro ſuo guſtu & affectu, ſed eo modo quo diuinæ voluntati placet,potiſſimum tamen aduerſis rebus ; nam in iis præcipuè hæc virtus ſuccurrit:Cum enim non agendi aliquid pro Deo,ſed patiendi tantum occaſio detur,nulla homini actio alia libera relinquitur , quàm velle pati quod Deus vult,atque ita toleranda aduerſa vel intrinſecus,vel extrinſecus aduenientia Dei voluntati ea inferenti vel permittenti ſuam accommodare,quod eſt implicite velle ei bonum illud , quod ipſe ſibi vult:verum de conformitate voluntatis noſtræ cum diuina alibi tractabitur.



PARA

PARAGRAPHVS. VII.

Quænam perpendenda ſunt in Meditatione paſſionis Chriſti.

EA potiſſimum ſunt quinque. Primum eſt illum qui patitur eſſe Deum Maieſtatis, & hominem ſanctiſſimum, innocentiſſimum, iuſtiſſimũ, liberaliſſimum qui tota vita nihil vlli mali, ſed omnibus benefecit. Sic te decet poſt ſanctam, & laudabilem, atque omnibus vtilem vitam, aliud nihil expectare quam aduerſa, ſi ei ſimilis eſſe cupis.

Secundũ eſt quid patiatur exteriùs, nuditatem & paupertatem extremam, contumelias & opprobria infinitæ eius ſanctitati, ſapientiæ, & potentiæ iniurioſa, amicorum fugam & derelictionem, dolores vehementiſſimos in omnibus membris & ſenſibus. Interiùs verò ariditates, anxietates, deſolationes, & vehementem & continuam triſtitiam ſine conſolatione vlla, ob iniurias Deo irrogatas, tot animarum perditionem, timores, tædia, agoniam ad ſudorem vſque ſanguinis. Nam tantum internos dolores admiſit, quantum ferre potuit ad Dei gloriam & noſtram ſalutem.

Tertium eſt à quibus paſſus ſit; ab iis nempè à quibus honorari, & amari debebat, omnis generis & conditionis hominibus, Iudæis & Gentilibus, regibus, gubernatoribus, pontificibus, ſacerdotibus, phariſæis qui eo tẽpore erant aliis religioſiores, doctis, indoctis, aulicis, militibus &c. Hi omnes præter vehementes inuidiæ, ambitionis, auaritiæ, & id genus paſſiones contrà Chriſtũ, ab ipſis Dæmonibus

incitabantur acriùs vt nullâ illi in re parcerent, nihil ei reliquum in bonis, in fama & honore, in corpore, in vita facerent. Adde & discipulorum fugam, Petri negationem, Patris permissionem, adeo vt nullum planè videretur habere ad quem confugeret.

Quartum est pro quibus patiebatur nempè pro nobis, atque adeo vt omnia & singula peccata nostra expiaret, nobis virtutes omnes & gratias etiam singulas impetraret; nobis, inquam, qui ab eo alieni eramus, nam pro ipsis crucifixoribus suis quibus & peccatorum remissionem & salutem suo sanguine & lachrymis à Deo patre obtinebat.

Quintum est, quomodo passus est, nempè tanto amore, ardore, Zelo. Nam oblatus est quia ipse voluit: voluit verò cũ ardenti desiderio gloriæ Dei reparãdæ, & satisfaciendi eius iustitiæ. Itaque erat desiderium hoc ex vero Dei amore profluens insatiabile, adeo vt longè plura pati exoptaret. Item cum quanta humilitate, obedientia, & subiectione erga patrem, quanta patientia, suauitate, atque mansuetudine.



Quomodo ſe Chriſtus ad ſuam paſſionem præpararit.

POſtquam igitur Chriſtus Dominus ſanctiſſimis vitæ ſuæ exemplis & documentis, factis & dictis Patris ſui gloriam amplificauit, & traditum ſibi à patre opus conſummauit, ſic vt nihil ex iis quæ diuina voluntate ei impoſita erant, ad homines Dei cognitione & amore imbuendos, agendum ſupereſſet, ſeſe ad patiendum cœpit comparare, vt hoc etiam modo Deum glorificaret, & quod ſibi reſtabat, in eius honorem conſumeret. Et licet ad rem tantam ex qua totius humanæ ſalutis ſumma, & maxima patris ſui gloria dependebat, à primo ſuæ conceptionis momento per omnes vitæ ſuæ ſiue priuatæ, ſiue publicæ actiones tam externas quam internas ſe paraſſet, inſtante tamen paſſionis tempore ſingulari modo vt nobis exemplo eſſet, ſeſe diſponere voluit.

MEDITATIO I.

De Chriſti præparatione ad ſuam paſſionem.

COnſidera primo, Chriſtum Dominum ad perficiendum per paſſionem redemptionis noſtræ

noſtræ negotium magno patiendi deſiderio Imprimis ſeſe præparaſſe: Nam quanquam à primo momento id dicere potuiſſet quod dicit apud Lucam: deſiderio habeo baptizari, & quomodo coarctor donec impleatur, atque ſingulis vitæ momentis hæc illi tormenta in votis fuerint, tamen hoc tempore hæc deſideria longè fuerunt ardentiora, quæ res colligi poteſt de ſancti Marci cap. 10. vbi ait. Chriſtum aſcendentem Hieroſolymam, vt vltima illi populo monita daret, & tandem pateretur, præceſſiſſe Apoſtolos, & incenſo quodam Patri ſe offerendi deſiderio præcurriſſe illis ſtupentibus, & timentibus & ipſi, & ſibi. Deinde eos de paſſione ſua, vt quæ cordi maximè eſſet, clarè & diſtinctè monuiſſe. Idem etiam patet ex Ioanne vbi ait diſcipulis. Deſiderio deſideraui manducare hoc paſcha vobiſcum antequam patiar. Sic nempe viri Apoſtolici magnis tota vita, ſed potiſſimum poſt bonam eius partem, in ſollicita Dei gloriæ procuratione conſumptam patiendi pro Deo deſideriis ad vltimos ſe agones parant. Vide num quantum boni in paſſionibus lateat, ſatis apprehendas; atque adeò qualia deſideria patiendi experiaris, ſolet enim Deus hoc ſuos modo à longè diſponere.

Conſidera Secundò, Chriſtum inſigni etiam humilitate, & demiſſione paraſſe ſe ad paſſionem; ſciens (inquit Ioan. cap. 13.) quia omnia ei dedit pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad eum vadit, ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe & lauit pedes diſcipulorum, & poſtea dixit illis. Si ego laui vobis pedes Dominus & magiſter, &

vos debetis alter alterius lauare pedes : exemplum enim dedi vobis , vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen dico vobis non eſt ſeruus maior Domino ſuo, nec Apoſtolus maior eſt eo qui miſit illum , ſi hæc ſcitis, beati eſtis ſi feceritis ea. Nimirum humilitas veros Chriſti Apoſtolos facit , & optimè diſponit, vt Deus ad ſuam gloriam nobis vtatur , quare viri Apoſtolici quò meritis, & rerum pro Chriſto & Dei gloria geſtarum excellentia ſunt maiores, eò ſe magis demittunt , vt magis Deum glorificent, & eum prouocent vt ipſis non parcat. Humilitatis enim & mortificationis exercitium, quædam ſunt glorioſarum pro Deo paſſionum rudimenta.

Conſidera Tertiò , Eo tempore Chriſtum inſtituiſſe ſanctiſſimum Sacramentum , & ſub ſpeciebus panis & vini , corpus & ſanguinem Apoſtolis & Eccleſiæ dediſſe , vt hoc excellentiſſimo charitatis opere ſua omnia opera quibus hominum ſalutem promouere conatus erat , veluti concluderet , & in ſummam quandam redigeret. Quo facto nihil ſupereſſe poterat quod agere poſſet, atque ita tranſiret ad paſſionem , cuius repræſentatio vera & viuifica erat hoc Sacrificium. Hoc enim charitatis opus factum hoc tempore quo Iudas proditionem , Iudæi crucem parabant ; ſatis indicat quanto ardore amoris ad patiendum accederet ; vt qui ita ſeipſum nobis relinqueret , quaſi paratus eſſet non ſemel tantùm vno die , ſed ad extremum vſque iudicij diem in cruce pro hominibus millies ac millies , atque adeò toties quoties corporis & ſanguinis ſui ſacrificia ad finem vſque mundi futura

tura videbat, mortem acerbissimam subire.

Considera Quartò, Habuisse etiam Christum curam aliquam suorum. Nam præter excelsum humilitatis, & insigne charitatis opus in institutione SS. Sacramenti, eos valde efficaciter exhortatus est ad amorem suum, & mutuam inter se concordiam, ad orationis studium, & fiduciam in Deo, & animi fortitudinem in aduersis; Sicut, inquit Ioan. 5. dilexit me Pater, & ego dilexi vos; manete in dilectione mea, hoc est mandatum meum, vt vos inuicem diligatis, sicut & ego dilexi vos. Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat pro amicis suis. Amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis: petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Denique in fine cap. 16. vbi persecutiones quas tolerare debebant, recensuit, ait: Hæc loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis: in mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum, quem vobis dabo vincere misso Spiritu sancto qui vos consoletur, & fortiores vos reddat omni mundi potestate. Ita Christus instanti passione, in ipsa verò Passione non omnem curam eorum abiecit. Nam in horto orationem abrupit, vt eos ad orandum excitaret, inter tormenta respexit Petrum, in cruce Matris & discipuli curam habuit: ita etiam faciendum est, vt nulla planè aduersitas nos à nostro officio præstando deterreat.

Consid. Quinto, Christum Dominum oratione insigni antequam ad passionem exiret sese parasse, in ea petit à patre imprimis vt breui secutura passio illustraretur iis signis quibus innotesceret

noteſceret Dei Filius, atque ita Dei Patris gloria, cognitio,& amor per eam inter homines ſplendeſceret. Clarifica filium, ſcilicet per Paſſionem, vt Filius tuus clarificet te: in paſſione deinde vt diſcipulos ſuos ad ſui nominis claritatem inter mundi pericula conſeruet, inter ſe perfecta vnione qualis eſt Patrem inter & Filium coniungat, eoſque ſanctificet in veritate propter quos ſeipſum Deo iam erat ſanctificaturus, ideſt immolaturus in cruce: Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, vt ſint vnum ſicut & nos. Sanctifica eos in veritate, vt pro eis ego ſanctifico meipſum vt ſint ſanctificati in veritate. Denique, vt Deus vnus, Pater, Filius & Spiritus ſanctus à fidelibus in futuris ſæculis cognoſcatur & ametur, & ſint vnum cum Deo & in hac vita, & in futura. Sicut, inquit, tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis ſint, vt credat mundus quia tu me miſiſti. Atque ita ſatis patet quem Chriſtus Dominus finem ſibi in patiendo propoſuerit, nempe Dei gloriam, & hominum ſalutem; & quam ardenter petierit, vt ſecutura paſſio efficax eſſet ad rem tantam medium. Quod certè viros Apoſtolicos imitari in id genus caſibus oportet.

MEDITATIO II.

De triſtitia & agone Chriſti.

INter omnia aduerſa quæ in vita ſpirituali & procuratione gloriæ diuinæ toleranda ſunt acrius

acrius ſolet mentem pungere, & affligere vehementius timor & triſtitia interior, ſiue concipiatur de malis externis & temporalibus, vt eſt paupertas, morbi, mors ipſa; ſiue de ſpiritualibus vt cum fructus ſalutis noſtræ & diuinæ gloriæ, noſtris deſideriis, functionibus, & laboribus non reſpondet. Atque interna hæc doloris, timoris, ac triſtitiæ afflictio eo acrior eſt longe, quando Deus omnem internam conſolationem tollit, qua potiſſimum incipientes complere ſolet, adeo vt cùm profunda triſtitia nos ab omni opere bono, ab oratione, à cura proximi, ab vtilibus ad Dei gloriam laboribus reuocet, nihil prorſus conſolationis à Deo dimanet quo iuuemur, & ſuſtentemur, & perſeueremus. Nam quamquam ipſe Dei amor, & intentio gloriæ eius ad perſeuerandum tum in agendo tum in patiendo confortet, ſenſibilis tamen conſolationis priuatio mirum in modum animam affligit, vt plerumque periculum ſit ne ſuccumbat. Hoc expertus fuit Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 1. Nolumus vos ignorare fratres de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere, ſed ipſi in nobis ipſis reſponſum mortis habuimus. Quare Chriſtus Dominus voluit ipſemet hanc triſtitiam & dolorem ſine vlla conſolatione tolerare, vt & nobis patientiæ & pœnitentiæ exemplum daret, & doceret ad quænam remedia, cum ita affligimur, confugere debeamus.

Conſidera Primo, Euangeliſtas deſcribere quatuor veluti internas Paſſiones aliquo modo diuerſas in Chriſto. Prima eſt triſtitia quæ prouenit

uenit ex apprehenſione obiecti mali, & naturæ diſconuenientis. Secunda timor qui prouenit ex apprehenſione mali ardui imminentis. Tertia & quarta paſſio ad iſtas duas referuntur, nec proprie ita poſſunt ab illis diſtingui. Tertia ergo eſt tædium, & cœpit tædere, ſiue deſolatio quædam quæ ad triſtitiam & timorem addit quamdam derelictionem, cum ſcilicet homo ita triſtatur & timet vt quocumque reſpiciat, non habeat effugium, vel vllam conſolationem; vnde addit hæc tertia cæteris tantum puritatem quandam triſtitiæ & timoris. Quarta poteſt eſſe agonia ſiue pugna rationis deliberatæ cum ratione naturali & ſenſu, illâ volente pati abſolute, hâc verò ex naturali inclinatione horrente & ſubterfugiente: hæc autem pugna voluntatis naturalis, & ſenſus non fiebat niſi per aliquos actus harum potentiarum, qui non poterant eſſe alij quam fuga per timorem & triſtitiam, quibus actibus cum reſiſteret deliberatio voluntatis ſuperioris, illa reſiſtentia ipſum timorem & triſtitiam repercutiebat in partem inferiorem, illaque adhuc complebat vehementius in eadem pugna, voluntas naturalis & ſenſus ad orationem confugiebat, petens ab iis malis liberari, quam petitionem voluntas ſuperior deliberata inefficaciter Deo proponebat vnde inferiori reſiſtebat & petitionem corrigebat. Non mea ſed tua voluntas fiat.

Conſid. Secundo, Chriſtum Dominum his paſſionibus fuiſſe ita afflictum vt quodammodo plenus iis eſſet. Nam primo appetitus eius inferior reſpectu obiectorum ſenſibilium, & rationi conformium, & Chriſto conuenientium ita

timore

timore & tristitia repletus fuit, vt nullum planè gaudium ex vllo obiecto quocumque perciperet: nam quamquam ex Dei contemplatione debebat in appetitum sensitiuum delectatio omnem tristitiam excludens redundare, Dei tamen dispensatione factum est vt eò delectatio non pertingeret, vt, sicut loquitur Ambrosius, Christus Dominus, sequestrata omni diuinitatis æternæ delectatione, tædio nostræ infirmitatis afficeretur. Secundò voluntas eius naturalis siue inferior iis passionibus plena fuit, nam per illam voluntatem verè Christus timebat, fugiebátque mortem, cum illa in iis omnibus affectibus sequatur appetitum sensitiuum. Tertiò voluntas eius superior respectu obiectorum spiritualium, vt erant potentiæ hominum, tristitiam pariter admittebat, etsi beata simul esset: potuerunt enim in eâdem voluntate diuina virtute esse simul hi actus, gaudium ob beatitudinem, & tristitia ob mortem, vel ob hominum peccata; quia isti actus non sunt propriè contrarij, nec versantur circa idem obiectum & secundum eandem rationem. Quantum ergo diuina virtute fieri potuit, etiam Christi voluntas hac tristitia plena fuit.

Consid. Tertiò, quodnam fuerit huius timoris & tristitiæ obiectum in appetitu & voluntate inferiore: fuit malum naturæ sensibile, mors nempè, & tormenta omnia clarissimè, & distinctissimè, ac sigillatim imaginationi repræsentata, & perfectissimè apprehensa, tormenta inquam & mors malorum omnium maximum in Christo potissimum ob dignitatem vitæ eius propter vnionem. Atque hinc patet hanc tristitiam excessisse

cessisse omnem tristitiam quæ de humanis & temporalibus bonis concipi potest, præsertim cum coniuncta fuerit cum priuatione omnis consolationis. Nam appetitus Christi & voluntas inferior permissa est naturæ suæ, vt circa tale obiectum sic propositum quantum posset naturæ propensione & efficaciâ contristaretur, & factum est diuinitùs, vt vnus actus alium non impediret, nec gaudium superioris partis in aliam deriuaretur, nec denique aliquod aliud solatium adhiberetur, quod tristitiam illam posset minuere vel leuare: nam humanum nullum habuit qui ab omnibus derelictus est Psal. 68. Consolantem me quæsiui qui simul contristaretur & non fuit. Nec diuinum, vt antea dictum est. Cœpit ergo in horto tristitia, sed postea progressu passionis aucta est, quia dolor sensibilis interiori representationi accessit, & tandem facta est summa in cruce, quando dixit; Deus Deus meus vt quid dereliquisti me? Inter hanc vero tristitiam poterat Christus considerare Dei charitatem, spem & fructum Passionum, B. Virginem, & fideles adhuc alios socios; tolerabat ex charitate Dei & proximi, & cum magna fortitudine. Ex quibus videri potest consolationem recepisse, sed reuerà illa omnia iuuabant ad fortiter ferenda omnia, non tamen per se ad imminuendam tristitiam. Nam aliud est ita considerare ad confortandum, aliud ad consolandum, quod postremum Christus non fecit. Vnde dicitur confortatus ab angelo non consolatus; interdum tamen in summis doloribus ne natura deficeret, potuit Christus his considerationibus aliquam inferiori parti laxari

consolationem, sed ad breue tempus. Atque hinc patet hanc tristitiam superasse tristitiam omnium Martyrum, cum illi non caruerint & consolatione diuina, quam eis hæc Christi tristitia promeruit, & consolatione partis superioris. Voluit autem Christus Dominus tantam tristitiam pati. Primo vt etiam hoc modo pro nobis pateretur, id enim erat aptissimum ad finem redemptionis nostræ, & abundantiam Christi meritorum, & diuinam nobis consolationem in tot huius vitæ doloribus promerendam. Secundo, vt exemplo suo doceret quomodo & quando in diuinæ voluntatis obedientia, & procuratione gloriæ Dei variis pro huius vitæ conditione tristitiis affligimur, nihilominus pergere constanter, & ad finem vsque inter dolorum aculeos priuati omni consolatione non solum humana, sed etiam diuina, quam Deus solet in orationibus, virtutum exercitiis communicare, obedire in gloriam Dei debeamus.

Consid. Quartò, quæ fuerit causa & obiectum tristitiæ eius in voluntate superiori, nam fuit varium. Primò enim hæc tristitia fuit de Apostolorum scandalo & Petri negatione: ita S. Hilarius can. 13. in Matth. monuerat, ait, omnes esse scandalizandos, Petrum assumpserat cum Iacobo & Ioanne & aliis assumptis ait. Tristis est anima mea &c. atque ita non de se, sed de iis quos assumpserat mœstitudo: ita ille; nec tamen audiendus quando excludit obiectum sensibile. Secundò S. Hieronymus in 26. Matth. Contristabatur, ait, propter infœlicissimum Iudam, & scandalum Apostolorum, & reiectionem populi Iudæorum, & euersionem

miseræ

miſeræ ciuitatis Hieruſalem. Tertiò, ob omnium hominum peccata, ingratitudinem, damnationem. Ita S. Ambroſius in cap. 22. Lucæ. Minus inquit, contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum, ergo pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit quod doleret, & ſequeſtrata delectatione Diuinitatis æternæ, tædio noſtræ infirmitatis afficitur. Sic Pſal. 21. Longe à ſalute mea verba delictorum meorum: nimirum omnium peccata ſuſceperat, & ideò pro omnibus triſtatus, vt Deo offenſo ſatisfaciat & nos Deo reconciliet. Quartò ob ſuorum afflictiones, perſequutiones, & tormenta.

Fuit autem iſta Chriſti triſtitia ſumma, exceſſitque omnem aliorum triſtitiam quamcumque ſiue naturalem ſiue ſupernaturalem, turpem, aut honeſtam. Primo quia ex parte obiecti materialis dolebat de peccatis omnium hominum ſimul ſumptis, & optimè conſideratis & cognitis. Secundo. Ex parte obiecti formalis, nemo enim ita cognouit peccati malitiam. Tertio, ex parte principij: nemo ex tanta charitate Deum dilexit aut eius honorem optauit. Quarto, Nullus tantam habuit gratiam aut auxilium ad peccata deteſtanda, vnde ex tota latitudine & intentione charitatis & gratiæ quæ erat ſumma, triſtabatur de omnibus, & ſingulis peccatis, quatenus erant, & Dei offenſæ, & proximi ruinæ, & damna. Nam homines intentiſſimè amabat, quare nullus vnquam dolor fuit huic ſimilis. Quod ſi legamus quoſdam ex contritionis vi ſubito mortuos corde diuiſo, quam intenſa erat Chriſti triſtitia, qui de omnibus ſimul tali modo dolebat? Accedit etiam quod Chriſtus

alias rationes, quæ consolari eum poterant, non considerabat: voluntariè autem Christus: sumpsit hunc dolorem, non sine causa. Prima erat vt doceret nos pro Dei offensis alienis dolere & tristari, est enim hæc sancta tristitia. Secunda vt doceret nos quantum malum sit peccatum, quod facit talem in Deo tristitiam. Certè est summa infamia hominis, qud solus creatorem suum ita contristet, de reliquis ait Psal. 103. Lætabitur Dominus in operibus suis, quia omnes vt suo authori obediunt, & de homine Genes. 6, pœnitet me fecisse hominem, & iam ecce Christus Dominus tristissimus: attende bene peccati malum: in Christi anima erat infinita dulcedo, beatitudo, gaudium, & peccatum tuum in cor eius coniectum velut amarum quid totam illam dulcedinem turbat. Vide Dei dulcedinem, vna eius gutta satis, si in infernum descenderet, illum redderet dulcem, vnam solam guttam cœli ab Abraham petebat diues ad se refrigerandum in inferno; vna eius dulcedinis gutta satis est vt omne Martyrium dulce sit, vt Stephano lapis, & Laurentio ignis. Tantam ergo Christi Domini dulcedinem, quam ex beatitudine habebat, quid amaram fecit? Peccatum solum. Pelagus omnium amaritudinum infernus vna Dei gutta dulcescit, & pelagus omnium dulcedinum beatitudo vno peccato amara fit. Tertia vt pararet nobis fontem vnde tristitiæ veræ & contritionis aquas haurire possimus, si enim ipse tantum pro peccatis nostris cōteritur, vt inde sanguis exeat, quid par est nos facere qui peccauimus. Sit ergo dolor ipse exemplar illius quem debemus habere in confessione, & si non habeamus, petamus hinc,

&

& nostrum exiguum huic iungamus. Hac enim tristitia omnem nobis meruit tristitiam & contritionem de peccatis nostris, fecítque vt nostra tristitia & dolor à Deo recipiatur.

Consid. Quinto, quomodo Christus Dominus se gesserit, in hac tristitia, vt tu pariter eodem modo te geras, quando tristitia & desolatione probaris. Primò enim vltro eam suscepit quantum vires naturæ ferre potuerunt, & consolationem omnem exclusit, vt intelligas nihil esse in ea veri mali, imo posse eam plurimum conducere ad tuam & aliorum perfectionem. Quare tantum abest vt eam fugere debeas, & humanis eam consolationibus velle leuare, quin potius aggredi magno animo te oportet, sic enim & leuior erit & vtilior. Hic etiam facit quod Christus noluerit rationes multas quæ eam potuissent imminuere, quin potius ipse mala illa, obiecta sensibilia, tormenta, ignominiam, crucem, singula cum suis circunstantiis diligenter pertractabat, & animo suo repræsentabat, atque intentissimè apprehendebat, vt eo maior esset tristitia, atque ita certando & eam reprimendo, in appetitu cresceret, & sic ampliùs pateretur, atque ita patientiæ victoria maior esset: ita ergo nos facere conuenit vt nostras ipsi passiones generosè aggrediamur, iísque prout Christus ad sanguinem vsque resistamus. Secundò, humanis solatiis relictis non omittamus ad Deum recurrere, & eum orare non tam vt nos liberet, quamquam id, Christi exemplo facere possimus, quam vt sanctissima eius voluntas in nobis fiat: nam potissimum remedium in huiusmodi desolationibus est Dei voluntati se conformare, siue ipse

 punire

punire nos eo modo velit,& nostram negligentiam hac pœnâ castigare´, siue superbiam & inanem nostri æstimationem, quam alioquin ex bono rerum nostrarum successu nasciturам videt,antequam oriatur, magno beneficio præuenire, siue denique probare qua animi constantia, amor in eum noster sine vllo proprio bono in procuratione gloriæ eius,agendo, patiendóque perseuerabit.

Ad sequentia passionis Christi mysteria.

DErelictus est ergo Christus Dominus à patre hoc vtroque modo, quia & eum permisit hominum dæmonúmque crudelitati, enormiter omni tormentorum genere ad mortem vsque ignominiosissimam cruciandum, interim dum ita cruciatus est, omni illum interna in parte inferiori consolatione destituit. Quare in sequentibus mysteriis etsi potissimùm Christi tormenta consideranda sint, tamen subinde reuocari in memoriam debet illa interna eius derelictio, & tristitia quæ ipsis tormentis præsentibus augebatur, & iis aliquomodo grauior erat.

Notandum autem quod cum multi variíque sint modi, quibus diuina prouidentia casibus aduersis hominum patientiam exerceat (nam aliquando communibus eos malis, peste, fame, bello; aliquando priuatis, paupertate, morbis, aliorum odiis iniustè & sine vllo honesto prætextu

textu susceptis probat) nullus acerbior esse videtur quàm cùm publica eorum qui præsunt iustè, & suo probè muneri satisfacere putantur, authoritate rei facti, legitimo vt apparet processu, iustáque sententia deserti ab omnibus etiam amicis & notis, sic vt nullus tuendæ famæ, vitæque locus supersit, publicè damnantur. In eo enim genere non solùm de corporis salute, sed etiam de omnibus bonis agitur; hunc ergo modum Deus Pater elegit, quo filium suum nostro bono & exemplo ad suam gloriam illustrandam cruciandum permitteret: quare cum aliàs vellent illum vel præcipitare, vel lapidibus obruere, ipse Christus in cuius potestate erat ponere animam suam quando volebat, quia nondum hora eius venerat, transiens per medium illorum ibat, donec in maxima Iudæorum solemnitate, ingenti hominum concursu, publica authoritate captus, omnibus Iudææ tribunalibus sacris & profanis præsentatus, coram omnibus de grauissimis sceleribus accusatus, ac tandem cum omni genere contumeliarum tanquam reus damnatus & cruci affixus est, qui persecutionis modus nihil reliquum facit ad summam infamiam & crudelitatem, nullum vlli consolationi locum relinquit, & eò acerbior est, quò generalior, & nullum mali genus excludit; adeóque omnibus simul veluti collectis quasi numeroso quodam & terribili exercitu, vndique ad opprimendum, & prorsus ad conterendum, atque in nihilum redigendum irruit.

Quamquam verò in omnibus passionis Christi mysteriis, facile sit animaduertere hunc eius calicem intextum semper fuisse ex irrisionibus,

contẽptu, magna infamia, iniuſtiſſimis calumniis, & grauiſſimis omnis generis corporis doloribus, ſunt tamen myſteria in quibus hæc magis quàm illa conſiderari poſſunt. Nã in Chriſti accuſatione calumniæ præcipuè cõſiderandæ ſunt, vt & ad ſimiles nos comparare, & eius exemplo diſcere poſſimus, quomodo cum ita impetimur, nos gerere debeamus.

MEDITATIO III.

De Chriſti comprehenſione Math. 22. *Luc.* 22. *Marc.* 14. *& Ioan.* 18.

PRimò permiſit ſe Dominus oſculo à Iuda tradi, & quaſi latronem comprehendi. Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis ac fuſtibus cõprehendere me; quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & nõ me tenuiſtis; ipſóque interrogante, quem quæritis? corruerunt in terram inimici.

Secundò ſeruum Pontificis percutienti Petro ait: Mitte gladium tuum in vaginam &c. & ſanauit ſeruum.

Tertiò. Captus & à diſcipulis derelictus ad Annæ domum pertrahitur, vbi à Petro paulopoſt ſecuto ſemel negatus eſt; & alapam accepit à quodam miniſtro obiiciente, ſic reſpondes Pontifici?

MEDITATIO IV.

De gestis in domo Caïphæ. Matth. 16.

PRimò. Abducitur ligatus Christus ab Anna in domum Caïphæ, vbi Petrus eum rursus bis negauit, atque respiciente ipsum Domino, egressus foras fleuit amare.

Secundò permansit ligatus tota illa nocte.

Tertiò. Circunstantes satellites illudebant, & velatâ facie colaphis cædebant interrogantes, Prophetiza nobis Christe quis est qui te percussit? ac modis illis blasphemabant.

MEDITATIO V.

De Christi apud Pilatum accusatione Matth. 26. Luc. 23. Marc. 13. Ioannis 18.

PRimò. Traditur deinceps ad Pilatum Christus, & coram eo à Iudæis calumniosè accusatur. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram.

Secundò. Eo semel atque iterum examinato, retulit Pilatus. Ego nullam inuenio in eo causam.

Tertiò. Barrabæ latronis quàm Christi Iesu libera

liberationem malle se Iudæi proclamarunt. Non hunc, sed Barrabam.

MEDITATIO VI.

De transmisso Christo ad Herodem.

PRimò. Transmisit Pilatus Christum ad Herodem, æstimans quod esset Galilæus.

Secundò. Herodi poscenti curiosa, nihil penitus respondit, licèt à Iudæis valdè accusaretur.

Tertiò. Ab Herode cum suo exercitu spretus fuit, atque veste alba indutus.

MEDITATIO VII.

De reuersione ab Herode ad Pilatum Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. Ioannis 19.

PRimò. Christum ad Pilatum remisit Herodes, & ambo ea ipsa die, cum priùs inimici essent, sibi inuicem reconciliati sunt.

Secundò. Iesum flagellis cædi iussit Pilatus: Milites eumdem spinis coronarunt, atque purpura induerunt, deinde irridentes dicebant. Aue Rex Iudæorum, & colaphos simul impingebant.

Tertiò.

Tertiò. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum, & Pilatus dicit illis. Ecce homo; Pontifices verò condemnabant Crucifige Crucifige eum.

MEDITATIO VIII.

De condemnatione & Crucifixione Iesu Christi. Ioan. 19.

PRimò. Sedens pro tribunali Pilatus Christum iudicauit, & tradidit crucifigendum, posteaquam negantes Iudæi suum Regem esse, dixerunt. Non habemus Regem nisi Cæsarem.

Secundò. Bajulauit Christus crucem suam, donec ob virium defectum, Simon quidam Cyrenæus illam post eum ferre compulsus est.

Tertiò, inter duos latrones crucifixus fuit ascripto titulo. Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.

MEDITATIO IX.

De mysteriis in cruce factis. Matth. 27. Luc. 23. Ioan. 19.

PRimò, Blasphemias pertulit in cruce, vah qui destruis templum Dei, &c. descende de cruce, & diuisa sunt vestimenta eius.

Secundò. Effatus est Dominus in cruce verba septem,

ſeptem, orans videlicet pro crucifigentibus. Latroni parcens. Matrem & Ioannem ſibi mutuo commendans. Exclamans ſitio, quando aceto eum potauerunt, & deinde ſe à patre derelictum. Poſtea conſummatum eſt: ac poſtremo, In manus tuas commendo ſpiritum meum.

Tertiò, ſol obſcuratus ipſo expirante, & petræ ſciſſæ ſunt, aperta quoque monumenta, & velum templi à ſummo vſque ad infimam partem ſciſſum, & latus lanceâ confoſſum aquam effudit, & ſanguinem.

MEDITATIO X.

De Chriſti ſepultura.

PRimò, de cruce ſublatus eſt mortuus Dominus per Ioſeph atque Nicodemum in conſpectu ipſo matris afflictiſſimæ.

Secundò, delatum eſt ad ſepulchrum corpus vnctum & incluſum.

Tertiò. Adhibititi ſunt inibi cuſtodes.

CAPVT III.

Ad quartam Hebdomadam monita.

NOn ſolùm vitam & Paſſionem, mortemque ſuam Chriſtus Dominus ad maiorem Dei

Dei gloriam retulit,sed ipsam etiā gloriam & bona omnia quæ sibi & cæteris meruit.Nā expressè docet Apostolus resurrexisse eum propter gloriā Patris,nec semel ipse Christus quem in finem gloriam ipse suam & nominis exaltationem referret,declarauit.Sed præcipuè sub vitæ finem.Ioan.17.Pater, inquit,venit hora,clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te; Et ostendens qua in re hæc Dei clarificatio consisteret,subdit,sicut dedisti ei potestatem omnis carnis,vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam; hæc est autem vita æterna vt cognoscāt te solum Deum & quem misisti Iesum Christū.Ego te clarificaui super terram,opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam,& nunc clarifica me,Pater,claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te. Ad hanc ergo septimanam pertinent ea omnia mysteria,quæ Christi Domini mortem consecuta sunt,quibus cum maxima Dei, diuinarúmque perfectionum gloria, Dei Filius ita impiè,crudeliter,& ignominiosè pro Patris honore & hominum salute occisus,cum absorptus morte,& perpetuis infamis obliuionis tenebris sepulrus videretur,non solum rediuiuus apparuit,sed stupēdis prodigiis & naturæ vim superantibus operibus Apostolorum & aliorum fidelium,sanctitate admirabili,totius orbis conuersione,mundi victoria,Ecclesiæ regni sui constitutione,omnium Dominus & caput, atque futurus aliquando Iudex, manifesta Dei potentia,iustitia,sapientia,bonitate cōstitutus est,& ea claritate ornatus,quam apud patrem habebat priusquam mundus fieret,vt nempè & in futura verus æternúsque Dei filius agnosceretur,per quem homines ipsi in Dei Filios adoptati æterna etiam hæreditate potituri Deum Patrem & Filium

&

& Spiritum ſanctum viſuri ſint, ſicuti eſt, & idcirco etiam Deo ſimiles in perpetuas æternitates ipſa beatitudine, atque adeo dij quidam ad diuinæ bonitatis admirabilem commendationem futuri.

Ad hunc ergo finem Chriſtus Ieſus etiam ſuam gloriam retulit vt ſuo nobis exemplo præiret, atque intelligeremus verum Dei amorem non tormentis, non morte finiri, ſed in æternis illis bonis (quæ bonis operibus mercedem voluit ipſe eſſe) vel deſiderandis vel expectandis, vel admittendis non eſſe mercenarium, ſed fidelem Dei gloriæ procuratorẽ.

Tanta certè eſt bonorum operum dignitas, vt in hac etiam vita Dominus Deus iuſtus iudex vellet ſtatim ſuis ſeruis mercedem reddere, & nonnunquã etiam quoſdã miraculis, vel rebus præclaris geſtis, vel eximia apud homines ſanctitatis opinione, & diuina quadam authoritate (quando ita ei ad honorem ſuum videtur) glorificat, vt ſic ſuam ipſi fœlicitatem, & amorem in hiſce etiam bonis in Dei gloriam referendis exerceant: verùm poſt vitæ huius tempus quod laboris, pugnæ, & periculorum eſt, reſeruata eſt huius gloriæ plenitudo. Tunc enim aperto veluti theſauro ſuo ad eos glorificandos qui ab omnibus contempti ſunt, ſtupenda coram omniũ oculis opera per eorum cineres, & inuocationem efficit, eorumque ſanctitatem quam ipſi magna humilitate, quantum potuerunt, obſcuram tenuerunt, in apertam lucem educit, & externis hiſce ſuæ ſapientiæ, potẽtiæ, & bonitatis ſignis declarat quãti ipſe illos faciat, quanta eos apud ſe gloria cumulet, quanta bonitatis ipſius ſit abyſſus, quæ tantã illis ſui ſimilitudinem cõmunicat: ſic igitur ſancti plerique poſt mortem Deum glorificant in hoc mundo, verum longè excellentior eſt illa gloria quàm

quàm ipsi in æternum in beato illo futuræ vitæ statu Deo attribuunt, quando miseri & tot peccatis astricti homunciones per inæstimabilẽ Dei bonitatem & misericordiam ei similes apparent, quia vident eum sicuti est; & quoniam Christus Iesus perfectionis exemplar est & magister, ab illo certè discere nos oportet, tum quænã sint ea bona quæ nos maneant, si eum secuti diligenter fuerimus, tũ qua sint à nobis intentione prosequẽda. Laudabile sanè pro Dei gloria strenuè laborare in hac vita, & corporis incommoda, famem, sitim, frigus, vitæ breuitatem, paupertatem, & alia id genus mala intuitu resurrectionis, & cœlestis beatitudinis perferre, atque ita ad magnam coronam aspirare; verùm longè laudabilius est nihil de se & sua fœlicitate, vt proprium horum est, esse sollicitum, sed tantum de Dei gloria, etsi in mentem veniat Dei gloriæ nostram beatitudinem necessariò coniunctam esse, in ea ipsa beatitudine non tam quod nostrum, sed quod Dei bonum est spectare, adeóque toto affectu ad maximam coronam aspirare, quia eo maior futura est diuinæ bonitatis æterna gloria, quo perfectiore clarioréque visione, & cognitione atque amore ei similiores futuri sumus.

MEDITA

MEDITATIO I.

De Resurrectione Christi & prima apparitione facta matri suæ.

PRimò anima Christi denuò vnita fuit ipsius corpori, & Corpus ad vitam & statum longè meliorem priore reuocatum, vtpote quatuor dotibus claritatis, agilitatis, subtilitatis, & impassibilitatis insignitum.

Secundò Christus rediuiuus, adoratus fuit ab Angelis & patribus è lymbo eductis.

Tertiò, matri primum omnium apparuit, eamque mirificè recreauit.

MEDITATIO II.

De Christi apparitione facta 12. *Apostolis, absente Thoma. Ioan.* 20.

PRimò, discipuli omnes præter Thomam, domi congregati, erant propter metum Iudæorum.

Secundò. Ingressus ianuis clausis Christus, stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.

Tertiò, Spiritum sanctum eis dedit, & ait, accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.

MEDITATIO III.

De apparitione in monte Tabor. Marc. vlt.

PRimò. Ex Domini mandato abeunt discipuli in montem Tabor.

Secundò. Iis apparens ille inquit. Data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Tertiò. Mittens eos ad prædicandum per vniuersum orbem sic mandauit. Euntes ergo docete omnes gentes Baptizantes eos in nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti.

MEDITATIO IV.

De Domini Ascensione. Act.1.

PRimo. Postquam iam per dies quadraginta multoties se Christus discipulis suis viuum exhibuisset, in multis argumentis, &c. Loquens eis de regno Dei, misit eos Hierosolymam, vt promissum sibi Spiritum sanctum illic expectarent.

Secundò. Eduxit eos ad montem Oliueti, & videntibus illis eleuatus est,& nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Tertiò. Iisdem in cœlum suspicientibus dictum est per duos illos viros in vestibus albis assisten-

tes, quos Angelos fuisse credimus, Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum, hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum in cœlum euntem.

CAPVT XXXI.

Ad contemplationem de amore spirituali.

PARAGRAPHVS. I.

Quis fuerit scopus propositus B.P.N. Ignatio in his exercitiis.

EXistimarunt nonnulli B. P. Nostri scopum præcipuum in componendis, & deinde tradendis exercitiis fuisse, vt exercitantem in tribus perfectionis viis, purgatiuâ, illuminatiuâ, & vnitiua exerceret, & ideo ita exercitia disposuisse, vt eorum ordo, quoad materiam attinet, tribus illis viis responderet; verum, quamquam B. Pater aliquam forte eius rei rationem habuerit, non videtur tamen id sibi præcipuè proposuisse.

Primò enim in prima annotatione explicans quid sit exercitia spiritualia obire, nihil de tribus illis viis dicit, sed finem ipsum exercitiorum ait esse tollere affectiones malè ordinatas, & Dei voluntatem inuestigare quoad salutem animæ; quæ duo ita distinctè ab eo proposita, etsi primæ & secundæ viæ respondere videantur, tamen

men non ſignificant ſuam eſſe mentem earum exactam habere rationem.

Secundò. In annotatione quarta expreſsè ait eſſe quatuor exercitiorum partes, quæ tamen non eſſe quatuor, ſed tres tantum deberent, ſi de tribus viis propoſitum ei fuiſſet agere. Nam tam ſeparat ſecundam & tertiam, quam tertiam & quartam; quod tamen non fieret ſi ſecundam & tertiam ad viam eandem retuliſſet.

Tertiò. In omnibus exercitiis vno tantum in loco mentionem facit viæ purgatiuæ, & illuminatiuæ, nempe annotatione 10. Eſſet vero mirum id eius conſilium præcipuum nullo ex alio loco (cum tamen tam frequens eius rei occaſio in exercitiorum ordine & diſpoſitione occurrat) colligi recte poſſe: & certe ſi id intendiſſet in contemplatione de amore ſpirituali aliquam eius mentionem feciſſet.

Porro in illa annotatione 10. quamquam apertè dicat primæ hebdomadæ exercitia reſpondere viæ, quæ, vt loquitur, purgatiua dici ſolet; & ſecundæ hebdomadæ exercitia reſpondere viæ, quam, inquit, illuminatiuam appellant: ſatis tamen ipſo loquendi modo indicat ſe non intendere propriè & expreſsè tres illas vias ſuis exercitiis comprehendere, vel ad eas ineundas exercitantem directè formare velle. Nam imprimis ipſam viæ purgatiuæ & illuminatiuæ appellationem ab aliis veluti mutuatur, quaſi indicare velit de iis ſe non agere. Deinde ſecundam hebdomadam non continere viam illuminatiuam, aut primam continere purgatiuam, ſed tantum reſpondere; imo B. P. N. cum eo tempore videret

frequenter à quibusdam piis authoribus exercitia quædam Theologiæ Mysticæ per tres vias tradi; abstinet ipse non tantum ab eo modo loquendi, sed etiam ab ipso eorum ordine, vt qui minus probabatur, eo tempore, & aliquo modo periculosus videbatur.

Quarè etiam monet id quod expertus ipse sine dubio erat longe facilius decipi à Dæmone, ac proinde longe minorem in spiritualibus exercitiis fructum facere, eos qui in via illuminatiua potius versati fuissent, quam in purgatiua.

Quarto. In contemplatione de regno Christi quæ est fundamentum non solum 2. sed etiam 3. & 4. hebdomadæ, satis ostendit intendere se potissimam Christi Domini imitationem, tum in finis intentione, tum mediorum ad eum finem vtilium electione, suum exercitantem formare, vt deletâ veteris Adami formâ Christum perfectè induat. Et quoniam Christi Domini vita triplici constat discrimine, ideo in tres hebdomadas reliqua exercitia partitur. In prima enim parte vitæ, suæ Christus Dominus nobis priuatæ vitæ, & communis status exemplum dedit, vt ipsemet B.P. docet in annotatione ad exercitium de vexillis. Deinde sub annum 12. cœpit Euangelicæ perfectionis statum inchoare quæ præter propriam perfectionem etiam aliorum salutem ad maiorem Dei gloriam per varias functiones & virtutum exercitia intendit. Quare 2. hebdom. continet imitationem Christi quatenus propriæ & aliorum perfectioni, agendo & varias functiones obeundo, vacare possimus, vnde in ea de status electione agit, quia ipsa status

tus constitutio maximi momenti est ad illum diuinæ gloriæ in nostra & aliorum salute & perfectione procuranda, cum varia atque adeo necessaria ad illum finem quem intendimus media vt plurimum comprehendat. Porro ij qui statum elegerunt in eadem 2 Hebdomada eius sui perfectionem, & varios illius gradus, & modos expendere possunt, vt ad vitæ emendationem de qua ibidem agitur, iuuentur, & quam proxime possunt, ad Christi imitationem iuxta status sui rationem, & finem propositum accedant. In tertia vero hebdomada non solum desideria de status electi susceptione vel perfectione confirmant, sed etiam Christi Domini pro hominum salute ad Patris gloriam patientis exemplo, ad suam illam vel etiam aliorum perfectionem procurandam, præter virtutum illarum exercitia & functiones varias, quæ agendo in 2. Hebdomada suscipiuntur, etiam ad extrema quæque sustinenda & aliorum quarumdam virtutum heroicos actus incitantur & accenduntur. Denique in 4. cum in Christi Domini gloria contemplantur Dei bonitatem, non solùm de Dei & Christi honore gaudent vehementer, sed tantorum bonorum spe iuuantur, vt agere ac pati plurima exoptent, quo & Dei gloriam maiorem in hac vita promoueant, & in futura Dei ipsius Beatitudinis consortes, atque ei similes effecti in æternum, eum quam poterunt maxime glorificent.

Ita igitur sese habent 4. exercitiorum partes ex mente B. P. N. Ignatii, quo fit vt etsi aliqua ex parte secunda hebdomada respondere videatur viæ illuminatiuæ, tamen perfectiuæ etiam

viæ exercitia contineat. Nam Christi Domini vitam, Dei gloriam, & hominum salutem procurantis ponit ob oculos, & ob eundem finem per eadem etiam media, quæ propriè ad tertium perfectionis statum pertinent, & quæ sine charitatis abundantia præstari rectè non possunt, tendamus; cum enim B. P. N. hæc Christi exempla supremæ vitæ mixtæ perfectionem continentia proponat iis qui vitæ statum eligere volunt, vt bene considerent, num ad eam perfectionem aspirare velint, atque maiori Dei gloriæ, & propriam non modo salutem, sed etiam perfectionem & proximi procurando, vacare; dici non potest in 2. hebdomada illum habuisse rationem dumtaxat viæ mediæ; longè minùs, in 3. Cum in magna parte 2. Hebdomadæ, & in tota tertia exellentissima supremæ perfectionis opera non solùm meditanda, sed etiam imitanda proponat. Scio equidem 3. perfectionis statum quem ipsi viam vnitiuam appellant in contemplandis potissimum Dei perfectionibus & operibus occupari, verum B. P. N. huiusmodi contemplationes passim in 2. & 3. hebdomada permiscet, vt satis constat, quas ipse secundum Christi Domini spiritum & imitationem ad praxim diuinæ gloriæ in nobis atque aliis magis ac magis amplificandæ (in qua re suprema hominis perfectio consistit) perpetuò retulit. Quare vnitiuam perfectionem puram non tradit, sed mixtam eamque excellentissimam; sicut igitur ad eum finem imitationem Christi Domini in 2. & 3. hebdomada ordinauit, vt eius perfectionem in proximorum salute agendo & patiendo pro Dei voluntate consequamur, ita in 4. in eius resurre-

ctione & gloria contemplanda ita futuræ beatitudinis ſpe & gaudere & animari voluit ad gloriam Dei promouendam, vt ſimul Chriſti Domini exemplo omnem illam noſtram beatitudinem in Deum ipſum eiuſque gloriam refundamus, atque ita regni huius ſpiritualis per peccati rebellionem perturbati ſplendorem in beato illo æternitatis ſtatu perpetuo duraturum perfectiſſimè reparemus.

PARAGRAPHVS II.

Quomodo hæc contemplatio cum exercitiis cohæreat.

HAs ergo quatuor exercitiorum partes B.P.N. concludit hac contemplatione de amore ſpirituali, quæ, vt verè dicam, ſummam quandam non ſolùm omnium exercitiorum ſpiritualium, ſed etiam totius perfectionis continet, atque adeo breuis quædam eſt harum partium recapitulatio. Nam cum (ſicut & fundamento & omnibus prope exercitiis conſtat) id ſpectetur paſſim vt homo ſeipſum ſuáque omnia ad finem diuinæ gloriæ referat perfectiſſimè, atque hoc officium ſit charitatis, Dei gloriam, quatenus bonum quoddam eius eſt, velle & procurare, in hac contemplatione quæ ad practicum amorem tota pertinet, vbi bona quæ à Deo accepimus bonitatem eius & amorem in nos teſtantia conſideramus, tanta eius beneuolentia excitati viciſſim illa bona eadem quæ ab eo accepimus

cepimus ei reddimus vt ita aliquo modo inexhaustæ bonitatis eius oceanum hac veluti guttula adaugeamus, in qua certè vltro citroque bonorũ communicatione, non autem in ſolo affectu amicitia vera, vt B.P.N. notat, conſiſtit. Quare in ſingulis huius contemplationis punctis hoc agitur vt bona quæ à Deo accepimus agnoſcamus, atque ita bonitatis eius ſenſum aliquo modo concipiamus, deinde verò eidem tantæ bonitati eadem ipſa bona refundamus.

CONTEMPLATIO

Ad amorem ſpiritualem in nobis excitandum.

IMprimis duo notanda ſunt. Primum quod ab operibus amor ipſe magis quàm à verbis pendet. Secundum quod conſiſtit amor in mutua facultatum, rerum & operum communicatione puta ſcientiæ, diuitiarum, honoris, & boni cuiuſque.

Oratio præmittitur ex more.

PRimum præludium eſt vt coram Domino, Angelis, ſanctiſque omnibus mihi propitiis ſtare me videam.

Secundum vt gratiam à Deo efflagitem per quam beneficiorum eius in me co latorum magnitudinem

gnitudinem perſpiciens ad amorem, cultum, & ſeruitium ipſius exardeſcam, & totum me impendam.

Primum punctum reuocare in memoriam beneficia creationis ac redemptionis; dona itidem particularia ſeu priuata enumerare, & cum intimo affectu perpendere quantum meâ causâ benigniſſimus Dominus egerit, atque pertulerit, quantum mihi elargitus ſit de theſauris ſuis, quódque iuxta decretum, & beneplacitum, ſeipſum mihi, quantum poteſt, donare velit. Quibus optimè inſpectis, vertar ad meipſum, & diſquiram mecum, quæ meæ ſint partes, & quid æquum iuſtumque ſit vt diuinæ offeram & exhibeam Maieſtati: haud ſane dubium eſt quin mea omnia offerre debeam, ac meipſum cum ſummo affectu, & verbis huiuſcemodi vel ſimilibus.

Suſcipe Domine vniuerſam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem, quidquid habeo vel poſſideo mihi largitus es, id totum tibi reſtituo, ac tuæ trado prorſus voluntati gubernandum. Amorem tui ſolum cum gratia tua dones & diues ſum ſatis, nec aliud quicquam vltra poſco.

Secundum punctum erit, ſpeculari Dominum in ſingulis exiſtentem ſuis creaturis, & elementis quidem dantem vt ſint, plantis vero vt per vegetationem viuant: animalibus inſuper vt ſentiant, hominibus poſtremo vt ſimul etiam intelligant, inter quos ipſe & accepi vniuerſa hæc beneficia, eſſe, viuere, ſentire, ac intelligere, meque templum quoddam ſuum efficere voluit ad ſuam imaginem & ſimilitudinem creatum, ex quorum omnium admiratione reflexus in

in meipſum agam vt in primo puncto, vel melius ſi quid occurrerit id quod in punctis etiam ſequentibus erit factitandum.

Tertium punctum. Eſt conſiderare eundem Dominum ac Deum propter me in creaturis ſuis operantem, & laborantem quodammodo, vt in cœlis, elementis, plantis, frugibus, & animantibus, quatenus dat ipſis eſſe, conſeruátque id quod ſunt, quæ omnia vt ſupra in mei conſiderationem reflectenda erunt.

Quartum punct. Proſpicere quo pacto munera, & bona omnia cœlitus deſcendunt, vt ſunt potentia, iuſtitia, bonitas, ſcientia, & alia quælibet humana perfectio, terminis quibuſdam certis circumſcripta, quæ ab infinito illo totius mundi theſauro, ſicut lumen à ſole, & ex fonte aquæ, deriuantur. Addenda ſupereſt reflexio prædicta in mei circumſpectionem.

Colloquium etiam in fine fiet teminandum cum *Pater Aue*.

Ad COMTEMPLATIONEM

De amore ſpirituali.

IMprimis annotatiuncula exercitio præfixa legenda eſt diligenter, eſt enim anima meditationis, eiuſque vſus eſt in omnibus punctis, & ex ea patet quem præcipue Dei amorem hic excitare intendat B. P. ſcilicet non tantum affectuoſum, ſed practicum.

Poſt præludia, puncta ſic ſunt diſtinguenda.

Primum

Primum punctum eſt conſiderare beneficia per quæ ſeipſum Deus nobis dedit, qualia ſunt Creationis, Redemptionis, & glorificationis, particularia item quæ quiſque in ſui conſeruatione & ſanctificatione, atque ex tot periculis & peccatis liberatione ſibi diuinitus collecta expertus eſt. His enim omnibus, & ſingulis beneficiis Deus nos immediatè attingit, ſéque nobis vnit & tradit, infinitámque ſuam potentiam, ſapientiam, & miſericordiam, ac bonitatem quodãmodo expendit, & mancipat ex infinito noſtri amore tantum vt nobis ex eo quàm optimè eſſe poſſit: hac conſideratione creſcet Deus ipſe in nobis, vel potiùs magnificabitur æſtimatio bonitatis eius; vndè factâ reflexione cogitabo: quid ergo par eſt facere? nonne infinito amore, ſi poſſem, debeo proſequi tantam bonitatem, & ei tradere meipſum totum vt eius amori manciper; voluntatem, vt bonum eius tantum velit ſuo bono contempto, vt ſit ipſe Deus cordis mei, vires denique omnes.

Secundum punct. Non ſe tantum Deus dedit mihi immediate tot beneficiis, ſed cum mihi creaturas dedit, iterum ſe nouo modo cum illis dedit, cum in illis intimè inſit per eſſentiam, præſentiam, potentiam; Nam ab illo habent omnes eſſentialem dependentiam, & cuique eius eſſentia intimior eſt quam ipſa ſibi; Nec modo quodam mortuo illis ineſt, ſed per præſentiam, adeo vt vere in iis & cognoſcat eas ipſas, & alia omnia, ac proinde libens voléníque illis adeſt, ſic vt in illis inexiſtens infinita eius ſapientia, & potentia, & bonitas eas conſeruet, præterea eas mihi offerat, ac dirigat ad fines ſuos, ad meum bonum,

nemp

nempe vt deinde illum cognoſcam & amem:id verò ſingulari quodam modo in homine præſtat. Ex horum conſideratione concludam.

Primò,quod ſi Deus ita mihi præſentem exhibeat infinitam ſuam eſſentiam,ſapientiam, potentiam,bonitatem,vt quocumque me vertam,me circumdet & ambiat, & tota in me intime reſideat, adeoque vt ſit baſis mei,eſſe debeam viciſſim illi præſens in omnibus non ſolòm hominibus, qui ſunt eius imago,ſed aliis amore perfecto ſentire, amplecti,ſtringere,nunquam ab eo ſeparari, & in eo totus viuere,cum in me tota ſit eius vita,bonitas,dulcedo,amor,&c.

Secundò, quod cum creaturas ad vſum meum dat, intimè illis inexiſtens, iterum ſe mihi det cum infinito amore & bonitate in vſu creaturarũ, debeo cauere ne illis inhæream,ſed potius infinito amoris eius igne quem continent ipſæ,& mihi applicant, incendar, vt eum toto corde diligam. Nam cum,verbigratia,comedo,non creaturas tantùm,ſedDeum quaſi mihi incorporo illis inexiſtentem, non modo mortuo, nam ſciens volénſque ex infinito amore ſe mihi eo modo communicat,adeo vt me magis alat eius amor & potentia,quam ipſa creatura, ſic quando reſpiro, &c. debeo ergo toties illi me tradere poſſidendum, quoties eo modo ſe mihi tradit.

Tertio, eo ipſo quo mihi creaturas dat, debeo ipſi eas reddere. Primo eum laudando de infinita ſapientia, bonitate, & potentia, quæ in omnibus relucet, & agendo illi gratias pro omnibus creaturis, & bonis quæ illis communicauit, ſiue illæ capaces ſint rationis, ſiue non ſint, quarum præcipuè loco cum mihi

earum

earum dominium dederit, debeo ſæpe pro iiſdem gratias agere; inuitando, vt eum laudent & benedicant. Secundo, earum dominium & meiipſius quod à Deo accepi illi reſtituendo, vel pro illo omnia, adeóque meipſum relinquendo, & perfectè ei tradendo, vt fit votis religioſis. Tertio earumdem vſum, & meipſum in eius ſolius gloriam referendo non in illum bonum meum.

Tertium punct. Non tantum Deus exhibet ſe præſentem in creaturis iis inſiſtendo, & eas nobis donando ex vero amore, ſed etiam cum illis intime operatur, & laborat aſſiduè mei causâ; cum ſole me illuminat, terram mihi colit cum agricolis, frumentum colligit, panem ipſe conficit, mihique miniſtrat, parat mihi veſtes, habitationem & cætera omnia, totam ſuam potentiam & ſapientiam expendens, idque ex vero & ſummo in me affectu vt bene mihi ſit.

Concludam vt in ſuperiori, nimirum debere me: Primo, eius præſentiam in omnibus creaturarum laboribus agnoſcere, meque viciſſim illi præſentem exhibere; Secundo gratias agere, offerre omnem creaturarum operam ad eius gloriam in actionem gratiarum; Tertio meipſum continuò debere laborare pro bono eius procurando; vitæ itaque meæ omnis labores in id impendendos eſſe ducam, vt in me & in aliis omnibus quam maxima ſit eius gloria, idque ſine vlla quiete, aut tædio, adeo vt mihi ſit moleſta omnis quies & labor qui non ad illum referatur. Gaudebo ſimiliter quod alij ad eius gloriam ſe impendant, eoque magis quo in ea re magis ſuperare videbuntur, & eo ſaltem modo cum omnibus creaturis pro eius honore laborabo.

Quartum

Quartum punct. Bona, ſpiritualia tria ſunt, potentia, ſanctitas, doctrina, quæ Deus homini largitur vt eum ſibi ſimilem faciat, ac proinde ex vero amore vt ei ſit quam optime, quibus etiam ſeſe nouo modo, nobis præſentem facit: quare viciſſim ego Primò, conabor eum intueri in Superioribus quibus dedit potentiam, & ex illius amore illis me ſubiicere, eodem modo in viris ſanctis. Secundò. Agam illi gratias quod tot effuſis donis ſe communicet nobis, & gaudebo quod eius gloria reluceat per communicationem horum bonorum, præcipuè ſanctitatis quam tot hominibus contulit. Tertiò, Si quid mihi horum bonorum dedit, proponam vti ad eius gloriam. Hinc qui aliis præſunt, diſcunt in quem finem ſuam authoritatem conferre debeant, nimirum vt Deus à ſubditis cognoſcatur & ametur, eodem etiam referenda eſt ſcientia, imo & ſanctitas quæ licet ſit magnum donum, noſtrum tamen eſt, etiam maxima Dei gloria, & vt ſic è nobis expeti, & quæri præcipuè debet.

FINIS.

